COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI LIBRI QVINQVE

AVCTORE HORATIO NVCVLA INTERAMNATE.





IVLIO III PONT. MAX.
S. P. D.




V M animaduerterem Pater Sanctissime ex nullis alijs auctorum monimentis maiorem aut uoluptatem, aut utilitatem, quàm ex historia capi, dilexi ab ineunte adolescentia rerum gestarum memoriam, sumq; uehementer earum lectione assiduè delectatus: atq; id causæ fuit, ut mihi in Sicilia anno superiore commoranti ueniret in mentem tentare, an ipse quoq; aliquid ad communem studiosorum utilitatem prodere memoriæ possem. præsertim, quòd Ioannes Vega illius insulæ Prorex mihi argumentum scribendi præbuit, qui in Africam Cæsaris classe traiecerat, paucisq; copijs Aphrodisium urbem penè om=


niam munitiſſimam, tutum piratarum receptaculum præter omnium opinionem expugnarat. Sed quoniam animaduertebam non eam in me eſſe orationis facultatem, ut ipse historiam satiscommodè ſcribere poſſem; nauaui operam, ut commentarios tantummodo conficerem, ut qui Aphrodiſienſe bellum commendare literis cuperent, ex ijs rerum geſtarum ordinem facilè cognoſcerent, paratumq; ſcribendi argumentum haberent. Hos igitur in apertum prolaturus Pater ſanctiſſime, te unum ex omnibus eligendum putaui, cuius tutelæ opuſculum noſtrum multis de cauſis commendarem: etenim in altiſſimo iſto dignitatis gradu conſtitutus ijs uitæ inſtitutis aſſiduè uiuis, ut infeſtos Chriſtianæ Reip. hoſtes, quos nullis rationibus, nulliſq; conſilijs ſe ad bonam frugem recipere uelle animaduertis, coërceri, & in ſeruitutem abſtrahi: illam autem tuto frui otio, ac tran

quillitate semper studeas: & eo nomine Cæsaris exercitum in Africam Duce Vega ad illud oppidum expugnandum proficiscentem instructis triremibus, militibus, & Pontificiæ facultatis donis adiuuisti. Ad hæc te ita ueri cultorem iampridem nouimus, ut cum sola rei gestæ ueritas nostris in scriptis inclusa sit, & singularum ipse rerum, quæ eo in bello acciderunt, scriptores, & nuntios habuißes, si in lucem sub tuo nomine proferatur, credituri sint, qui perlegent, historiam nostram simplici ueritatis ratione constare. Præterea cum nemo sit, qui nesciat te omni liberali doctrina, atq; acri, & propè singulari iudicio præditum, ac non modò de literis ipsis, sed etiam de illarum studiosis semper optimè meritum, spero fore, ut summa tua eruditione, & auctoritate, quæ iure omnium amplissima in terris habetur, plurimum splendoris commentarijs nostris

accedat; benefica autem, prolixaq; natura præclarissimè nobiscum agatur. præsertim quòd Vegam tanti belli Ducem, confectoremq; ita diligis, ut præclara illius facinora magna cum uoluptate perlegas, illorum autem scriptoribus non paruum honorem habendum censeas. Accipe igitur non inuitus munusculum hoc nostrum Pater Sanctissime, & mutuum in eo Vegæ erga te animum agnosce, qui me Aphrodisiensis belli scriptorem anno superiore expugnati Aphrodisij spolia ad te perferre uoluit, & absolutum nuper de eo bello opusculum Sanctitati tuæ dicare cupientem non inflammauit solum, sed interposita etiam auctoritate sua id maturare quamprimum coegit. Vale.

Horatius Nucula.




SEPTENTRIO
OCCASVS
ORTVS
MERIDIES
Vtica
Carthago
Neapolis
Curubis
Clypea
Siagul
Aphrodisium
Adrumentum
Leptis parua
Taphra
Triton fl.
Tacape
Sirtis parua
Promon. Mercurij
Cosyra
Drepanu
Cercinna
Cercinitis
PARS SICILIAE

AVCTOR LECTORI S.



OMINA quarundam Vrbium, locorumq; Africæ, marisq; mediterranei, de quibus his in commentarijs agitur, infrascripsi: quæ latine ideo in ijs ponenda censui, ut grauitatem historiæ seruarem: hic uerò, quibus uulgo utimur ex altera parte respondentibus, declarare ea uolui, ne legentibus interpretandi, aut inquirendi labor esset: etenim quantum in nobis fuit, laborauimus, ut cuncta loca proprijs nominibus appellaremus: qua in re si fortè, quod facilè memoria nostra ob corrupta, immutataq; uocabula contingit, erratum fuerit, satis habeas me latinis nominibus ea oppida, locaq; significare uoluisse, quæ hac interpretatione expressi. Quanquam nonnulla quoq; hic inuenies loco-

*rum nomina, quæ cum non antiqua eſse pu-
tarem, neque ſi eſsent, aſsequi coniectura
poſsem, quibus uocabulis ab antiquis ſcripto
ribus appellarentur, iis, quibus nunc uulgò
utimur, ea nominare coactus ſum. Quare
rogatum te uelim, ne laborem hunc meum
aſpernere, ſed animum potius in commune
conſulere cupientis amplectare.* Vale

A

Adrumentum.	*Adrameto Città antica dell'Africa menore.*
Aphrodisium.	*Africa uulgarmente detta Città principale della medesima Africa menore.*

B

Baleares insulæ.	*Maiorica, & Minorica.*

C

Catina.	*Catania Città principale di Sicilia.*
Cæsarea.	*Algeri città di Barbaria.*
Centumcellensis portus.	*Il porto di Ciuita Vechia.*
Cercina.	*Cercenna Isola apresso alla Sirte menore.*
Cercinitis.	*Isola picciola apresso à Cercenna.*
Cephaledis.	*Cefalù Città di Sicilia.*

Clupea.	Calliuia Città dell' Africa menore.
Cosyra.	La Pantalarea Isolà apresso à Africa.
Curubis.	Caruano Città principale dell' Africa menore.
Cyrene.	Corena regione, et confino della medesima Afr.

D

Drepanum.	Trapani città di Sicilia.

Ae

Aegusa.	La Fauignana Isola apresso à Trapani.

H

Hispania citerior.	La parte di qua di spagna, che contiene in se Catalogna, Aragona, Nauarra, & Biscaia con parte del Regno di Tolleto.

Insubres.	Quelli del Ducato di Melano.

L

Larunesiæ insulæ.	Le cunigliere apresso à Monesterio.
Liburnus.	Liuorno porto, et Terra di Toscana.
Lilybæum.	Marsala Città, & promontorio di Sicilia.
Lotophagitis.	Isola delli Gerbi, quæ & Menynx dicitur.

M

Mamertini.	Li Messinesi da Messina Città di Sicilia.
Marnabe.	Luogo, & Terra dell' Africa menore.
Menynx insula.	Li Gerbi, quæ etiam Lotophagitis appellatur.

Meßana.	*Messina Città principale di Sicilia.*
Mylæ.	*Melazzo terra forte di Sicilia.*

N

Neapolis in Africa.	*Mahometta Terra di Barbaria.*
Numidia.	*Regione di Barbaria.*

P

Pachynus.	*Capo paßaro promontorio di Sicilia.*
Panormus.	*Palermo Città principal di Sicilia.*
Pelorus.	*Capo del faro, promontorio preßo à Messina.*
Pompeiopolis.	*Pampalona Città di Spagna citeriore.*
Promontorium Mercurij.	*Capo buono, promontorio dell' Africa menore.*

Siagul.	Susa Terra del regno di Tunesi.
Spedia.	La spetia porto & terra di Liguria.
Syracusæ.	Siragusa Città principal di Sicilia.

T

Tacape.	Città dell' Africa menore presso al fiume Tritone.
Taphra.	Sfax Terra della Sirte menore col porto.
Thermæ Himerenses.	Termine Città di Sicilia.
Triton.	Fiume della sirte menore

V

Vtica.	Biserta, ò uero porto Farina, Città, & porto di Barbaria.

HORA-

HORATII NVCVLAE INTERAMNATIS COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI.

LIBER PRIMVS.



VM *antehac nonnullas ex multis rebus à Prorege Vega in Sicilia præclare gestis ad amicos cõscripserim, potius ut rogãtibus illis morem gererem, summamq́; erga illum pietatem declararem, quàm ut ipse infantiæ meæ beneconscius, mihi tantum assumerem, ut huic me oneri sufficere posse arbitrarer, censuerunt nonnulli (qui ipsorum est in me amor, & in tantum uirum obseruantia) illud mihi in præsentia suppeditari argumentum, quo multo liquidius quanti illũ faciam, ostendere, & nomen meum immor-*

talitati commendare possim. Vtinam ea esset ingeny mei acies, dicendiq́; facultas, ut mihi istud ex sententia præstare liceat: etenim tantum egregijs illius uirtutibus debere fateor (quibus iampridem allectus, & colo ipsum uehementer, & unum ex omnibus facio) ut siquam ipse, ex multis rebus quas ille gessit, distinctè, ornateq́; prodere memoriæ possim, cum omnibus mortalibus de felicitate me certare existimem. Sed cum planè uideam (si quid coner) futurum esse, ut, cum nec ingenio, nec exercitatione, neq; stylo dicendi opifice quicquam ualeam, egregia tanti uiri facta, quæ illustranda essent, per nos obscurentur potius, & offundantur, uenit in mentem præclarius fortasse nobiscum agi, si illa mecum tacitus admirer, & doctioribus, ac diu, multumq́; exercitatis uiris scribenda relinquam. Sed cum rursus animaduertam, me apud bonos uiros, negligen

tiæ, & prætermissi officij & ingrati animi nomine, & fugientis laborem suspectum fore, nisi saltem, quid ea in re exiguæ uires meæ possint, experiar (cum homines, hominum causa generati simus; & in ijs, quæ ad communem utilitatem spectent, uigilare, ac pro uirili nostra laborare debeamus) decreui tandem, aliquid tantarum rerum non historiæ filo, quod alijs prorsus relinquendum censeo, sed quoquomodo possim, & ut soleo, rudi oratione mea complecti uel potius commentarios conficere, ut qui historiam perscribere, et Aphrodisiense *bellū per* Ioannem Vegam *cum susceptum, tum summa cum gloria perfectum literis mandare uoluerint, in ijs propositum, paratumq; scribendi argumentum habere possint.* Efficiet *fortasse officij uis, ut, dum quoquomodo possumus illud conscribimus, si nihil laudis ad præclaras illius res per nos accedat; nihil tamen ex illarum*

splendore scriptis nostris detrahatur. Quod quidem & si minus assequi potero, me tamẽ consolabor, per me non stetisse, quin animũ illi meum declarauerim, & ijs, qui id tantopere nostra, & illius causa desiderare uidentur, officiose paruerim. Sed quoniam plerisq; eorum qui nostra legent, ea fortasse ob locum, quem apud ipsum teneo, egregiamq́; uoluntatem ab illo iampridem in me collatã, officij maiorem auctoritatem habere uidebuntur, quàm sententiæ, aut ueritatis, quæ in hoc scribendi genere potissimum exigitur, omnes in animum inducant, sibiq́; omnino persuadeant uelim, ita illum ueri percupidũ, ac cultorem esse, ut, si quid ipse ficti, & commentitij, nedum falsi, simulatiq́; (quod quidem semper ab institutis meis alienum fuit) scriptis meis insererc, tantumq́; admittere facinus conarer, non modo ille non æquo animo laturus esset, sed potius me quouis odio,

atq; animaduersione dignum putaret. Quapropter ad rem iã ueniamus, cui, eorum præsertim testimonio, qui & coràm adfuerunt, & omnes ferè hodie uiuunt, nihilo plus quã concedat ueritas, tribuemus.

Post nõnulla Africæ oppida in turcarũ potestatẽ redacta; multæ Italiæ urbes maritimis in locis sitæ, et omnes ferè insulæ, quæ in Infero mari iacent, maximum à prædonibus detrimentum accepere: Sicilia in primis, quæ cũ soli fertilitate, diuitijs, & cunctarum rerum copia cæteris præstet, breuisq; insuper in hãc ex Africa sit nauigatio, piratarum iniurijs, atq; impressionibus maxime patet. Dragutes enim archipirata insignis, & inter barbaros admodum strenuus (ut alios in præsentia omittamus, nec rem altius repetamus) cum haberet, quo se tutò iure suo recipere posset, totum hoc mare, quod Europam ab Africa diuidit, ultro citroq; impune curre-

bat : atq; ita negotiatoribus sua classe infestũ reddebat, ut pauci admodum iam nauigarẽt, qui non se aut mortis, aut seruitutis periculo committerent. Et si permagna est, & pulcre instructa Cæsaris classis, atq; eius præfectus Andreas Auria omnium fortasse, qui unq; fuerunt, rerum naualium peritissimus, & rebus antehac gestis uir clarissimus, cuius prudentia, ac uirtute Dragutes ipse (si ad manus uentum esset) superari, quod alias euenit, atq; in seruitutem redigi facile potuisset; tamen munitorum locorum opportunitate, uel nondum tempestiuo ad nauigandum mari, classem ille educebat, & loca iniuriæ obnoxia perspiciens summa cum celeritate petebat, quosq; poterat quæstus consequendi studio cursus conficiebat, uel cum Cæsariam Classem libero ad nauigandum mari egressam nouerat, singulos illius motus, progressusq; sic explorabat, ut diuersissime ab

ea semper nauigaret; & eo nomine naues quàm plurimas arbitratu suo caperet: oppida & maritima loca expugnaret: miserorũ fortunas prædaretur, seq; in tutum inuitis nostris semper reciperet. Et *res eò iam deducta erat, ut pauci (ne nullos omnino dixerim) ex ipsis portubus egredi auderent; præsertim quòd æstate superiore Princeps Auria cum tota classe illum perdendi causa insecutus fuerat, & aspirare ad eum nunq; potuerat.* Et *cum antehac ob liberum in Meningem tantum insulam, & parua alia munita loca receptum, tot iniurijs, cædibusq; Christianam remp. affecerit, nemo non uidebat, Aphrodisio oppido nuper oppidanorum dissensione, ac negligentia per illum capto, pessime nobiscum posthac actum iri, nisi illius motus, conatusq; euestigio prohiberentur. Etenim cum ea Vrbs egregie natura, etiam opere sit munita, non erat dubium, si*

diu ea potiri Turcis daretur, quin ita nouis munitionibus firmari posset, ut, cum nullis postea opibus expugnanda esset, facile eo pro pugnaculo Turcæ totius Africæ Imperium ob tinerent. Cum putaremus igitur, non par= uæ ipsi Cæsari, & Christiano nomini ma= culæ & dedecori esse, hominem barbarum, infimo loco natum, per rapinas, prædas, illi berales quæstus, ac sordidos diuitem factum, seruum quondam nostrum, in summam per niciem Reip. à Ianettino Auria Principis Le gato, ac fratris filio pecunia dimissum, tot clades quotidie nobis infligere, tantasq; opes ante oculos nostros nemine prohibente sibi in Africa comparare, manare cœpit fama, quæ postea constans percrebuit, de bello aduer= sus Dragutem, cæterosq; prædones cogita= ri, quod æstate proxima Cæsaris auspicijs per Andream Auriam mari, per Ioanem au tem Vegam Siciliæ Proregem terra gerendũ

esset; atq; ea loca, & oppida expugnanda, quæ in ipsius Dragutis, reliquorumq; piratarum manu essent. Et si constabat, Cæsarem crebris ipsius Vegæ literis incitatum, habere in animo Meningem insulam primum omnium bello tentare; quæ multos annos tutum prædonibus, Draguti in primis receptũ præbuit, omnibusq; rebus ad calamitates nobis infligendas illos adiuuit; & idcirco ipsum Vegam Siciliæ Proregem, ad quem eius belli summam deferret, designasse: tamen quoniam per uiros rerum peritos iudicabatur, id bellum nullis præparatis rebus haud quaquam ea æstate fieri posse, existimabatur Aphrodisium certe ob eas, quas memorauimus, causas, quàmprimum è scytharum manibus extorquendum: præsertim, quòd dum ea ciuitas Asa Gerbino archipirata, qui superbe dominabatur, expulso, se in pristinam libertatem uindicarat, ad ipsum Siciliæ Pro-

regem continuò ſcripſerat, ageret cum Cæſare, ut ipſos in fidem; & clientelam acciperet. Et Prorex ipſe ut res ſe haberet, Cæſari perscripserat, quaq́; illa Ciuitas uoluntate erga ipſum eſſet, ſignificarat. Et reſpõſum iam à Cæſare expectabat, cum Dragutes ipse rei fortaſſe, quæ cum Vega ab Aphrodiſienſibus agebatur, non ignarus, & id, quod ille cum Cæſare pro ijs ageret, probe noſſet, ad id oppidum tanq̃, aliò nauigaturus claſſem direxit: cumq́; diſcordes oppidanos, negligentes, atq; imparatos, & nil tale cogitantes offendiſſet, nullo penè negotio urbem cæſis cuſtodibus furtim cepit, præſidioq́; firmauit. Cum in eius rei expectatione omnes eſſemus; & Vegam cum ſumma belli poteſtate illò traiecturum putaremus, cum quòd loci propinquitate prouincia Africa iure illi ueniebat: tum, quòd eam ſibi opinionem ex rebus præclariſſime tam bello,

quàm pace gestis apud omneis comparauit, ut nemo non compertum haberet, id bellum negotiumq́; quodcumq; ille susciperet, ex omnium sententia confectum iri, constans ad nos rumor affertur, Cæsaris classem aduentare, sed non pro nauium numero, ac pro eo bello suscipiendo exercitum ferre: constabat enim ex ijs Cæsaris copijs, quas in Gallia cisalpina ad eam tuendam semper habet, ipsum præfectum Auriam ad mille Hispani generis militum, quibus Ferdinandus Lupus Lusitanus præerat, à Ferdinando Gonzaga cum Imperio eam prouinciam obtinente, accepisse, eosq́; Spediam, quod est Liguriæ oppidum ad Lunensem portum conuenire iussos, atq; inde in classem, cum è Genuensi portu, illac transiens Neapolim uersus nauigaret, impositos, & alios circiter octingentos ex Neapolitano præsidio eductos, tantummodo secū uehere. Nam tam etsi præter Hispanos mi=

lites circiter quadringentos, qui iugiter in Sicilia stipendia faciunt, ut in Vrbium, & parum munitorum locorum sint præsidio, nuper habitus in eadem prouincia delectus fuerat, & sexcentorum itidem Hispani generis militum numerus in eam rem conscriptus: tamen existimatum non temere à nobis fuit, Aphrodisiense bellum tam modicis copiis minimè geri posse: & propterea non Aphrodisium oppidum bello lacessendum, sed ipsum potius Dragutem cum cæteris prædonibus quacunq; ui petendum esse. Nec ea nos fefellit opinio: propterea quòd eo animo Andreas Auria, quod postea constitit, ueniebat, ut prius Dragutem ipsum persequeretur, & (si fieri posset) è medio tolleret, quã illam urbem bello tentandam putaret: quam quidem uel deuicto illo, uel saltem fugato nulla interposita mora in nostram potestatem uenturam crediderat. Nuntio igitur aduen

tus Auriæ Panormum allato, cum Prorex uxoris causa adhuc in luctu, & squalore esset, domi se continuit, sed Ferdinandum filium cum principibus ciuitatis continuò illi obuiam in classe Sicula procedere, ac perofficiose, & peramanter illum excipere mandauit. Quare uehementer gauisus est Auria: & uix classis portum tetigerat, cum ipse è prætoria quadriremi egressus, Proregem conuenit; eiusq́; uicem (ut par erat) se uehementer doluisse significauit: & ut pro tempore illum consolaretur, enisus est. Quod ita Prorex libenter accepit, ut eius congressu admodum recreari, & omnem dolorem luctumq́; deponere uideretur. Sed Auria in consilio communicando perplexè animi sui sensum deponere uisus est: nanq; id modò dixit; sibi pluribus copijs opus esse: quòd habebat in animo, cum tota classe in Africam traijcere; ut ex ijs, qui in arcis Gulettæ præ

ſidio uerſabantur, de Dragute cognosceret, & conſilium pro tempore, & pro re cape-ret. Ad quod Vega, quo candido eſt animo, ut debitum mutuæ inter se beneuolentiæ offi-cium præſtaret, reſpondit, satis magnas co pias, quas ille secum uehebat, ſibi uideri, ſi mari tantùm rem gerere cogitaret; contra autem perpaucas, ſi quid agere in conti-nenti moliretur; se paratum eſſe, illi de mi-litibus, re frumentaria, cæterisq; rebus ne ceſſariys prouidere, ut negotium, quod Dei primum, Cæſaris deinde gratia suſcipere-tur, ex sententia confici poſſet. Ab hoc con greſſu Auria in suam quadriremem reuerſus eſt; ad quem Vega continuò egregia miſit dona: etiam commeatu, reliquisq; copiys ip ſius triremes onerauit: magnifice quoq;, & prolixe erga reliquos totius claſſis principes se habuit, lauteq; per filios accipi uoluit. In-terim octo triremes ad quingentos illos milit-

tes, quorum pars Cephaledi, reliquæ Thermis Hymerensibus præsidio erant, excipiendos missæ. His Aluarus Vega Proregis filius tribunus in ea prouincia militum, præfectus fuerat, & eius urbis tuendæ, & muniendæ itidem gratia ibi Proregis patris mandato cō morabatur; quamquidem ualidis munitionibus breui firmatam ab omni hostium impressione tutam reddidit. Postero die à meridie Andreas ipse iterum Proregem conuenit; ac cum eo de discessu tantum locutus fuit. de negotio autem, quod agendum esset, ne uerbum quidem fecit; & impositis ijs duntaxat ex hac prouincia in classem militibus, quòd ueteranos omneis esse constabat, nam cæteri qui nuper conscripti fuerant, ad earundem tutelam urbium, & Lilybæi relicti sunt, ac parte commeatus, & cibariorum sumpta secunda noctis uigilia Panormo soluit. At Prorex cum sibi persuadere nequaquam posset,

non aliquid aduersus Aphrodisium proximè à Dragute captum apparari, cum maximũ, & manifestissimum esset periculum, quod in de conflari posset, summa statim cum diligentia de frumento, pane nautico, tormentis æneis, sulphureóq; puluere prouideri, præterea alios milites conscribi, naues conduci, & cætera omnia, quæ ad magnum gerendum bellum necessaria censuit, comparari mandauit, ut si quando ea res usu ueniret, classisq; Cæsaris iuuanda esset, haud ipse imparatus offenderetur, & magna trepidatione, & temporis angustijs premeretur. In eo Panormi portu Auria quatuor Hierosolymitanæ religionis longas naues, optime instructas, fidelissimas, ac pro Reip. salute tuenda semper paratas sibi adiunxit: quemadmodum apud Liburnum Thusciæ oppidum, portumq; tres Cosmi Medicis Florentinorum Ducis, & Iulij Tertij Pont. Max.

totidem

totidem apud Centumcellensem portum adiunxerat: qui religiosissimi Imperatoris Caroli in commune assiduè consulentis studiosissimi, eius augendam classem censuerunt, qua immanis ille archipiráta infensissimus Christiani nominis hostis saltem coerceretur, si minus è medio tolli posset. Abeuntem Auriam Proregis iussu, qui filios immortali deo primum, deindè regi se genuisse fatetur, illisq; assiduè inseruire desiderat, præter Aluarum Vegam, quem tribunum esse militum, & eorum, qui Auriam sequebantur, præfectum diximus, Ferdinandus etiam Vega eius frater, natu maximus secutus est, ac cum illo in prætoria Triremi Sicula profectus est, & benignè, & liberaliter cũ omnibus egit. In eandem impositus est Bucarus Tunetis regis filius bonæ indolis iuuenis, & militiæ admodum studiosus: nam Azenus pater non Auriam, cui non dum

certum traijciendi in Africam, ibiq; bellige=randi consilium esse uidebatur, sed Vegam postea ad Aphrodisium certe oppugnandum illò proficiscentem, secutus fuit: Is enim ab=hinc quinquennium ab immani filio & re=gno spoliatus, & oculis orbatus fuerat; & ut sui misereretur, seq; in regnum, exacto inde filio, ut paucis ante annis deuicto Ha=riadeno fecerat, restitueret, ad pium Cæsa ris animum, opesq; confugerat, seq; ad eius pedes supplex abiecerat: qui quanquam mi sericordia permotus, illi habebat in animo opem ferre: tamen quoniam non ita res ha=bebat, ut illum Cæsar tantæ rei compotem facere posset: maiore rerum mole tunc ipsum urgente, (Nam magna Germaniæ pars ab eo, & Christo desciuerat) dedit continuò ope ram, ut ex portorijs, & uectigalibus, quæ ipsi quotannis Siculi pensitant, commodissi=me, æque & honestissime, non ille solum

cum filio, sed etiam frater, fratrisq́; filius Panormi uiuerent. Bucarum Auria in classe uehebat, & postea Azenum Vega secum illuc accedere uoluit, ut, cum Cæsaris erga illos animum probè nossent, siquam forte Vrbem in maritimis Africæ locis expugnarent, ibi illos cum præsidio relinquerent, initiumq́; restituendi in regnum facerent. In Principis ab hac Vrbe discessu ex ea re potissimum spem cepimus, ipsi, quicquid animo conciperet, ex sententia euenturum; quòd in summis puppibus, antennisq́; non Cæsaris tantum inuicti Aquilas, sed Christi imagine Cruci Affixi insignita uexilla conspiciebamus; etenim quemadmodum ille humani generis hostis uictor fuit, gloriosumq́; de eo triumphum egit; sic quem tanti uictoris signo in nostrum, & illius hostem tendere uidebamus, iure optimo & illius uictorem rediturum, & iustissimum inde triumphum

consecuturum arbitrabamur. Nauigans igitur Auria Drepanum primum, deinde, Aegusam insulam cum tota classe peruenit: conciliumq́; ducum, & principum classis in posterum diem indixit: qui cum omnes ad cōstitutam horam ad ipsum coiuissent, hæc tantummodo uerba ad eos retulit. Nulla alia causa egregij, strenuiq́; uiri uos huc aduocādos putaui, quàm ut hic quid in Dei, & Cæsaris rem esse censeatis, liberè uestra sententia explicetis: & ad Carolum Sfortiam triremium Iulij Pont. Maximi præfectum conuersus, rogauit, ut primus omnium suam sententiam diceret. At ille cum apertè ex Auriæ uerbis non cognouisset, utrum mari negotium, an terra gerendum esset, illum orauit, ut explicatius rem referret. Ad ea Princeps, quoniam, inquit, Dragutes tot nos iniurijs quotidie afficit, magnasq́; calamitates Christianæ Reip. iampridem infli=

git, ex uobis scire uelim, illum'ne mari nostra classe perquirendum; & quacumq; ui possit, petendum esse, an Aphrodisium munitissimam urbem, quam ille nuper cepit, tutumq́; in illam pessimo publico receptum habet, bello tentandam censeatis. Tunc ille nullo se pacto oppidum illud bello lacessendum putare; propterea quòd nullum penè uidebat, nec exercitus, nec aliarum rerum, quæ ad tam munitam Vrbem capiendam expetabantur, apparatum: sed Dragutem potius persequendum, & classem ad illud negotium recte conficiendum in duas esse partes diuidendam. Garsia deinde Petri Tolleti Proregis Neapolitani filius, classis illius Regni præfectus sententiam rogatus, dixit, se in Dei, & Cæsaris rem esse censere, si ea oppida, quæ Aphrodisio de re frumentaria, reliquisq́; copys prouiderant, inuaderentur: & inter illa Neapolim, ipsumq́; Mo

nasterium, quod oppidum postea euersum est, nuncupauit. Claudius deinceps Zanclus genere Gallus, classis diui Ioannis Hierosolymitani præfectus triremes quindecim quibus Bernardinus Mendosa præpositus est, Hispaniasq; à piratarum incursibus tutas reddit, continuò accersendas, & maiori classi iungendas censuit. totam deinde in partes treis diuidendam, ut una circum Africam excubaret, altera Sardiniam non derelinqueret, tertia uero citeriorem Hispaniam tueretur. Huic Antonius Auria Vir magni consilij, quiq; sex triremibus suis rem Cæsaris quotidie auget facile assensus est, quòd existimaret Dragutem eo consilio capi posse. Rogati deinde sententiam Ferdinandus, & Aluarus Siciliæ Proregis filij, ut adolescentes adhuc (Alter enim qui secundum, & uigesimum agebat annum, erat duodeuiginti mensibus altero maior) quanquam ita pru

dentes erant, ut supra ætatem iure sapere censerentur; tamen uerecundia ætatis maiorum natu sibi rationem habendam duxerunt, & eo nomine ab omnibus probati sunt. Ferdinandus enim, quoniam, inquit, tam egregij Viri locuti sunt, optimumq́; sensum bono publico deposuerunt, superuacaneum existimaui, aliud in præsentia dicere, quàm quod Princeps Auria pronuntiatis omnium sententijs constituerit; secuturum me esse. Aluarus uerò se in eam sententiam, quæ cæteris præstaret, iturum respondit. Iordanus Vrsinus qui Cosmi Medicis Florentinorum Ducis triremibus præerat, Garsiæ opinionem probauit. Cicala autem qui duabus triremibus suis assiduè sub Carolo Imperatore meret; aduersus Aphrodisium eundum, illudq́; terra, mariq́; bello tentandum putauit; aiebat enim fieri posse, ut quemadmodum Dragutes eam Vrbem inuasit, & ea potitus

quàmprimum fuit, sic nobis itidem forte eue=
nire posset. Berengarius Siculæ classis præ=
fectus Hierosolymitanæ classis præfecti diui=
sa sententia, quatenus de Hispanis triremi=
bus accersendis, atq; ijs, quæ præsentes erãt,
iungendis dicebat, ei rei libenter assensit,
sed in duas tantum partes ad Dragutem per
sequendum diuidendas omneis censuit: ut di=
uersæ, altera illarum Orientem, altera Oc=
casum uersus nauigaret. Marcus autem Cẽ=
turio Principis Auriæ legatus, atq; illi con=
sanginitate coniunctus, se eius sententiæ esse
dixit, ut prius quàm quicquam molirentur,
aut decernerent, ad Arcem Gulettam naui=
garent, ibiq; aliquid de Dragute, deq; to=
tius Africæ statu cognoscerent. Cæteri om=
nes, qui coràm aderant, uel huius, uel Gar
siæ sententiam comprobarunt. Solus Octa=
uianus Grimaldus Monæci triremium præ=
fectus, Vir quidem & literarum, & armo=

rum studijs æquè deditus duarum rerum alte=ram censuit faciendam, uel Aphrodisium ur bem, rebus prius necessarijs abunde compa=ratis, bello petendam; uel Dragutem sum=ma cum diligentia perquirendum, perden=dumq́; esse: quod alterutrum in sempiternã Dei gloriam, atq; in Cæsaris rem, decusq́; esse existimabat. Sed quoniam in arcis Gu=lettæ mentionem incidimus, aliquid de ea à nobis dicendum existimauimus. Ea est igitur iuxta ruinas Carthaginis in cuiusdam sinus maris angustijs sita, quæ à laxis primo litto ribus paulatim in se coeuntibus fiunt; & in de uelut gula hominis, quæ ad stomachi lati tudinem, ac longitudinem lagenæ modo fun=ditur, in laxitatem desinunt: illiq; arci Gu lettæ nomen ab ea similitudine tribuunt. Hæc à Tunetis regno ex Hariadeni Aenobarbi manibus ui extorto, Azenoq́; regi restituto in potestate Cæsaris semper manet, firmoq́;

Hiſpanarum præſidio tenetur, Sed ad rem inſtitutam redeamus. Dictis omnium ſententijs nihil publice conſtitutum fuit, ne fortaſſe quod decretum ibi fuiſſet, ad hoſtes deferretur, Auria inde abeundi ſignum dedit, cæpitq; Carthaginis ruinas uersus claſſem dirigere, eo conſilio (quantum coniectura aſſequi potuimus) ut ex Marci Centurionis ſententia prius Gulettam peteret, quàm quicquã in hoſtes moliretur. Sed id per aduerſos uentorum flatus, qui ab occidente ſpirabant, haudquaquam licuit, coactiq; fuerunt ad promontorium Mercurij curſum flectere: quem & ſi tenuerunt: tamen nihilominus ita uis uenti percrebuit, mariſq; tempeſtas eſt aucta, ut multis triremibus antennæ frangerentur, aliæ ex ijs remorum partem amitterent. Cum in ea ſtatione claſſis eſſet, multi ex nautis (ut fit) ad aquam ex proximo agro petendam profecti sũt: erat enim nõ longe à littore

dulcis aquæ puteus, sed nonnulli equites tanquam ex insidijs egressi in illos impetum fecere: atq; ex ijs alios sauciauere, alios transfixis ferro pectoribus occidere. & nisi crebris tormentorum æneorum explosionibus, ex Monæci triremibus, quæ proximæ erant, ab insequendo hostes remorati fuissent, pauci quidem ex illorum manibus elapsi essent: idq; accidere plerunq; solet, ubi res non recte, atq; ordine administrantur: cuius tanta uis profectò est, ut cum eo paruæ res sæpenumero augescant, absq; eo autem maximæ dilabantur. Eodem die sub solis occasum Princeps misit, qui suo nomine Aluaro Vegæ diceret, aqua uniuersæ classi opus esse; & ea causa habere in animo postridie summo mane inde ad quindecim millia passuum eius hauriendæ gratia contendere: quamobrem sibi perquàm gratum fore, si ipse cum suis militibus in terram egrederetur, ut hau-

rientibus præsidio esset. Hispanos *quoq; milites, quos* Neapoli *aduexerat, ob eandem causam illuc accessuros. ad quod* Aluarus, *ut perofficiosum adolescentem decebat, respõdit, se illi in rebus omnibus, quæ cum ad ipsum, tum ad* Cæsarem *spectent, usquequaque præstò fore. Itaq; postero die* Clupea *oppidum edito loco iuxta mare positum, in cuius agro putei complures sunt, petitum à nostris fuit. Euestigio milites in terram egressi. Qui ab* Aluaro *ducebantur, pulchrè instructi in dextrum oppidi latus contendebant; cæteri in sinistrum, ubi puteos esse renuntiatũ fuerat, proficiscebantur. Sed cum imperiti locorum essent, quanquam cum barbaris prohibere conantibus certamina seuerant; tamen pars illorum summa cum celeritate littus petijt, & in remiges, nautasq; prætoriæ quadriremis egredi scapham parantes tela coniecit. omneisq; haud dubiè interfecisset,*

nisi inde tormentorum ui fuisset repulsa, duo tantum milites ex nostris, qui à reliquis aberrarant, à barbaris circumuenti læto dati sunt. Sed aqua per otium hausta, fugati barbari, oppidum captum, ac direptum à nostris fuit, quo relicto nostri se in classem nullo præterea accepto detrimento receperunt. Sed cum animaduerterent ita uentum contrariũ esse, ut in stationem relictam nullo conatu, aut ui redire possent, ad Larunesias paruas Insulas non longè à Monasterio oppido sitas, quas à Cuniculis nunc Cunicularias uocant cursum dirigere coacti sunt, eumq́; facile tenuerunt. Circum eas Insulas propter eandem tempestatem, uentiq́; uim duos dies morati sunt, eo certe animo, ut si fluctus sedarentur, uentiq́; mutatio fieret, institutum, cæptumq́; ab initio cursum conficerent. Sed cum uentus adhuc uehemens esset, & immoderata tempestas, Auria ex omnium senten

tia iniuit consilium petendi Aphrodisium; ut eius urbis situm, munitionesq́; perspiceret, ac quo in statu esset, quo ad eius fieri posset, & an in præsentia bello tentanda, cum specularetur, tum conijceret. Itaq; intempesta nocte inde abijt, & paulo post solis ortum in illius urbis conspectum cum tota classe se dedit. Cœperunt omnes communitum, & ad aspectum, præclarum urbis situm contemplari: cernebatur enim in plano sita scopulo ad linguæ penè modum in mare producto, & undiq; petito fluctibus, præterquàm à terræ parte, à qua aditus in latitudinem non amplius ducentorum passuum relinquebatur; pulchraq; & æque ualida multis, fortibusq́; turribus æquo inter se spatio per ambitum cõstructis habens mœnia, in quibus sclopettarij non pauci conspiciebantur. Et ueluti ij, qui nihil ab ijs timerent, ad scorpionis emissionem urbi appropinquarunt: sed temerarij

eius facti pœnas dederunt : etenim multæ triremes tormentorum æneorum ictibus percussæ sunt : quanquam in prætoria tantum quadriremi ex duarum explosionum altera remiges quinque à Scaphæ parte absumpti, & nouem uulnerati sunt. In cæteris desideratus nemo fuit. Postquam Auria se tormentis ceti animaduertit, ab urbe in altum ad passus circiter mille reliquis insequentibus se recepit. Inde melius agri amenitas perspecta est: nam uineis, arbustisq́; passim consitus urbẽ multo pulchriorem reddebat. Sed quoniam huius urbis situm describere cœpimus, & bellum aduersus eam duce Vega postea gestum pro uirili nostra scripturi sumus, non ab re esse existimauimus, aliquid de ea lybiæ parte, in qua hoc oppidum situm est, in præsentia dicere : ut cum ad cætera, quæ de ea dicenda sunt, ueniemus, non ignorato locorum situ, ea facile intelligantur.

Ea igitur pars Africa propriè dicitur, cuius latus ad occasū uergens, Numidia, Aquilonare Africano pelago, quod orientem spectat, Cyrene, quod autem Australe interioris Libiæ desertis terminatur. In hac olim & Carthago fuit, Romani Imperij ad perniciem suam æmula, & Vtica Catonis morte nobilitata, utraq; literarum monumentis celebrata, est etiam Tunes, & ad promontorium Mercurij, quod Siciliæ aduersum est, Clupea, liberum olim oppidum, Neapolis deinceps, Siagul, & Monasterium; Hæc in littore maris, in Mediterraneis Curubis extat, libera itidem quondam Ciuitas, et Marnabe paruum oppidum. In hac Libyæ parte sunt & duæ syrtes, quarum dextro minoris cornu Meninx insula adiacet, etiam Lotophagitis appellata, longitudine triginta quinq; millium passuum, latitudine autem uiginti quinq;: hæc duo olim habebat oppida,

nunc

nunc mapalia tantum & tuguria. Aduersus alterum minoris Syrtis cornu Cercina est cum urbe eiusdem nominis, & perparua Cercinitis, quæ ponte huic olim iungebatur. In hanc syrtim Triton fluuius influit; quem iuxta Tacape Vrbs est, Taphra deinde cum portu ad sexaginta millia passuum, sic enim appellari puto id oppidum, quod Afri, Italiq; sfaces, Hispani autem Alfaces uocant. Inter has urbes, quas in littore maris sitas diximus, Aphrodisium positum est, æquali propè interuallo hinc ad promontorium Mercurij, & hinc ad minorem Syrtim; Vrbs quidem situ, mœnibus, ædificiorum pulchritudine, & agri fertilitate in primis nobilis: maritimis, terrestribusq; fructibus opulentissima, multis seculis libera suis tantum legibus, institutisq; uixit, neminiq; subdita fuit, ut cum tot, tantisq; rebus, cæteris minoris Africæ oppidis antecelleret,

totius regionis nomen ſibi meritò uendicare potuerit: Africam tamen corrupto Aphrodisij uocabulo appellatam existimamus. Aphrodiſium, quòd Veneris uoluptatem ſignificet, certo fortaſſe, proprioq́; uocabulo ob ipſius urbis delitias auctores uocant; quanq́; sunt qui dicant, Aphrodiſium Siculorum eſſe ædificium; quibus ipsa Venus peculiare numen fuit; Afri tamen hanc urbem Mahagdian nominant. Hæc ab Azeno Tunetis rege occupata, & falsa quadam iuſti imperij ſpecie direpta penè fuit: & ſi ab eius iniuſto, sordidoq́; dominatu, accerſito Asa gerbino Turca archipirata Hariadeno Aenobarbo consanguinitate coniuncto se liberarat: tamen cum nec superbum illius dominatum perferre poſſet, per quem in seruitutē multo duriorem ſe redactam eſſe perſpiciebat, eo ſtrenuè per uim eiecto, amiſſam libertatem recuperauit. Sed tanquam per-

petuæ exterorum barbarorum seruituti obnoxia esset, paulo post oppidanorum discordia, ac negligentia in Dragutis potestatem, ut supra demonstrauimus, peruenit; & ipsamet sibi dedocori, atq; exitio fuit. Sed commemoratis ijs duntaxat, quæ ad rem facere uisa sunt, ad Principem Auriam iam redeamus, qui cum se in altum præ tormentorum ictibus recepisset, extemplo reliquis præfectis, ducibusq; ad se accitis, ex ijs quæsiuit, num bello tentandum id oppidum uideretur. Non commemorabo hic seorsum, ne longum faciam, sententias omnium, sit satis, omneis ad unum censuisse, ut prius res ad bellũ necessariæ compararentur; quoniam munitior uisa est; quàm ut inuadenda temerè, aut tumultuosè uideretur. Quamobrem fuerunt nonnulli, qui ad arcem Gulettam confestim eundum, & inde tormenta ænea, & cætera, quæ ad eorum usum expetebantur, capien

da mox Aphrodisium continuò inuadendum suasere: Et forsan rem persuasissent, nisi Berengarius Siculæ classis præfectus illorum fregisset sententiam; cum diceret, præstare Siciliam prius repetere, & ibi consilio cũ Prorege Vega communicato, milites, tormenta, commeatum, reliquasq; res facilius comparare; & consultò, & quo decebat, ordine tantum negotium suscipere, ac diligenter curare. Berengarij sententia uicit; quòd per illam & cogitandi spatium, & opportunus prouidendi locus, & idoneum gerendi tempus ostendebatur. Et quanq; munitissima urbs uidebatur, & re uera erat, & tormẽta ænea quàmplurima habebat; & turcarũ præsidio firmata: tamen comparatis abunde in Sicilia rebus, ac belli summa ad Proregem Vegam, qui maximam iustitiæ, & belli cæ laudis opinionem habebat, delata, nemo non sperabat, breui negotium, atq; ex omniũ

sententia cõfici posse. Paucos esse defensores credebant, ducentorum Turcarum numerũ nequaq; excedere, oppidanos odio illos habere, etiam si concordes cum ijs essent, magno urbis circuitui non sufficere; cum primum se mari, terraq; peti uiderint, animum abiecturos esse: Quamobrem eam prouinciam omnino, ac non multo interiecto tempore, capiendam: quoniam si Draguti spatium muniendi datum esset, eam esse loci naturam, ut munitionibus auctis, rebusq; ad uictum, & ad alios usus necessarijs optime prouisis, nullis postea conatibus, aut opibus expugnari posset. Et si ea difficultas ostendebatur, quod fieri facilè poterat, ut finitimi populi, & Arabes, qui sub tugurijs in ea regione uiuunt, contra nos arma sumerent, nostrosq; Vrbem oppugnanteis à tergo cæderent: tamen cernebatur è regione oppidi collis egregiè munitus, atque

ex omni parte præterquàm ipsius urbis, circuncisus: quem si milites nostri tenerent, nullam externam uim formidaturi, & oppidanos aquæ magna parte, & libero ex urbe exitu prohibituri uidebantur: præsertim si Vegam haberent ducem, in cuius prudentia, auctoritate, & rerum usu, certam omnium rerum bene gerendarum spem collocabant. Cum ex Berengarij sententia constitutum esset, ut Sicilia prius repeteretur, quã Aphrodisium oppugnari inciperet, uniuersa classis aqua egere cœpit; cuius petendæ causa idoneus Monasterij ager Auriæ uisus; in quo probatissimæ aquæ magnam copiã esse constabat. Itaq; ex omnium sententia illò contendit. Etiam fuerunt, qui Auriæ non innuerent solum, sed efficacibus rationibus suaderent, Monasterium & bonarum aquarum gratia, & quòd inde loci propinquitate multum Aphrodisio noceri posset, si pars

triremium in eo portu uersarentur, capien= dum, tenendumq́; esse. Nec displicuit Au= riæ consilium: & cumprimum ad illius oppi di littus appulit, iussit omneis ad unum mili= tes exponi: non eo tamen animo, ut tunc op pidum aggrederetur, sed potius ut haurienti bus aquam nautis adesse illi possent, & iniu riam, siqua fieret, propulsarent. Sed cum ipsi animaduerterent, barbaros in mœnibus armatos consistere; & si nonnulli ex ijs præ lato signo deditionis, ut uidebantur, facien dæ causa, ex oppido exierant: tamen ut ap petentes nimium, ualdéq; auidi, præsertim cum sine duce essent, Princeps enim nō egres= sus in terram fuerat, ad oppidum profecti sunt, Aluarus Vega primum agmen duce= bat, rectè, atq; ordine instructum, & cum eo multi ex principibus uiris erant, eiq́; haud inuiti parebant. Garsia relicta ad littus clas se cum Hispanis militibus, quos Neapoli

aduexerat in terram egressus, absente Principe, illius officio fungi cœpit, atq; Aluarum ex ipsius Auriæ uerbis admonuit, ut gradum sisteret, agmenq́; moraretur, uolebat enim ipse præire, quòd locorum eius regionis peritus erat; ad quem Aluarus conuersus, Principis mandatum se libentissime quidem executurum, etiam illi prouirili sua satisfacturum respondit. Interim Auria, qui aquã tantum peti iusserat, cum è quadriremi perspexisset, omneis fere milites ad oppidum inuadendum accedere, confestim in terram egressus, nequid perturbatione rationis peccaretur, atq; ordinis, illuc peruenit, ubi acies instructa erat. & cogitans fieri possè, ut oppido nostri potirentur, si in illud impressionem facerent, iussit eos sic instructos tantisper expectare, dum uideret, an uerè oppidani, quemadmodum significarant, dedere se uellent. Sed certior factus dari sibi

uerba, cũ pleriq; illorũ per auersam portã, suburbiumq́; fugam facerent, extemplo milites, quos secum è Liguria aduexerat, illò, ut eorum fugam inhiberet, misit. Tunc cæteri non dato signo, non Principis imperio expectato, ad oppidum edito loco situm, effuso cursu, turbatisq́; partim ordinibus subeunt, nullaq́; interposita mora alij prælongis hastis innixi, alij manibus ad eminenteis aliqua parte lapides applicatis, alij alio modo in muros euadunt, oppidumq́; cæsis, quos repugnanteis obuiam habuerunt, expugnant, ac diripiunt. Homines circiter trecenti ex oppidanis capti, cæteri in arcem confugerunt. Pauci Turcæ, qui Dragutis mandato, ut conijcimus, arci præerant: Vt primum hostes in Oppidum irruisse, passimq́; prædari, nulloq́; ordine hac illac concursare uiderunt, crebris Sclopettorum ictibus

nonnullos occiderunt, at magnum eorum numerum sauciauerunt. Quos Auria ad oppidanorum fugam ſiſtendum miserat, ex illis alios consecuti sunt, captiuosq́; duxerunt, alios in oppidum reiecerunt, continentiq́; agmine unà cum iȷs ingreſſi sunt; & partem illorum ipſi, partem qui aliunde oppidum intrarant, in seruitutem redegere. Sed qui primi oppidum reliquerant, & quicquid ex bonis suis potuerant, secum aſportarant, in quasdam Arabum decurias, quæ prædandi causa in eum agrum incurrerant, incidére: & ſpoliati ab iȷs eueſtigio fuere: qui quidem Arabes niſi auidi nimium prædæ fuiſſent, Auriam penè solum extra oppidum à noſtris relictum uel iure suo opprimere, uel facilè in poteſtatem ſuam redigere potuiſſent: ex quo maxima rerum perturbatio orta fuiſſet. Sed Diȷ meliora. Princeps ubi oppidum à noſtris captum uidit, & iȷs, qui è manibus illorum

elapsi fuerant, aditum in arcem patuisse cō-pertum habuit, tribunos militum per nuntios monuit, ut hostes circumsiderent. Et interueniente iam nocte se in classem recepit; tribunorum prudentiæ, & uigilantiæ confidens, omnia perquàm strenue ab ijs factum iri. Poterat quidem iure optimo singulis confidere: Nam uiri erant, quibus nihil penè deerat. Sed cum non haberent ipsi cuius imperio parerent, ipsorum imperia diuersa erant: quisq; tamen suos ad signa reuocauit, atq; ædes arci proximas, in quas uenire contigerat, occupauit, suóq; fungi officio dispositis custodijs nixus est. Aluarus Vega è regione arcis statiua habuit; & uigilans ipse suos uigilias agere, ac totam noctem in armis esse iussit: ut siqua bene gerendæ rei occasio præberetur, ei non deesset. Idem Garsia fecit, & in ijs, quæ cum ad oppidi expugnationē, tū ad arcem strenuè oppugnādā

pertinebant, ſumma uigilantia, ac diligentia uſus eſt. Sed quoniã munitior erat arx, quàm ut absq; æneorum tormentorũ adminiculo expugnari poſſet, poſtero die tormenta è nõnullis triremibus iuſſu Principis in terram delata: ut eodẽ tempore terra, mariq́; pilis tormẽtarijs per illa ui sulphurei pulueris, ignisq́; emiſſis, uerberaretur, ac, ſi fieri poſſet, quassata decideret. Sed cũ nullæ eſſent machinæ, quibus illa imponi, ac suſtineri, & ad idonea agi loca cõmode poſſent, in uehicula, quibus in opere ruſtico uti solemus, quæ forte in agris nacti sunt, noſtri imposuerũt, &, ut fieri pro tempore potuit, inſtruxerunt. Et ſi in ijs apte collocandis nõ parua inter duces, tribunosq́; diſſenſio orta eſt, cũ alij hunc, alij illum eligerent locum, deniq; tamẽ Aluaro Vegæ eius rei permiſſa eſt poteſtas: qui locum maxime idoneum illis cõſtituendis delegit; et in ea re, cæterisq; quàm plurimis ita se geſſit, ut ipſum

non adolescentem quidẽ, sed prouectæ ætatis uirum, diu, multumq́; in rebus bellicis exercitatum putares. Ferdinandus *quoq; frater nõ parua magno animo pericula subiens, nam cum magna militum manu, qua arcem non semel, & iterum circuiuit, dispositas custodias reuisit, atq; ad arcis oppugnationem necessaria conquisiuit, totam noctem insomnẽ duxit, se cum fratre, maioribus suis belli gloria immortalitate donatis, patre* Ioanne Vega *in primis, cuius præclara facinora nostra ætas admiratur; & futura secula uenerabuntur, dignum præbuit.* Arx *igitur postero die mari, terraq́; peti, ac tormentorum ictibus quati cœpta horas circiter nouem pulsata est. Sed magna ualidæ turris pars è triremibus deiecta fuit. quod cum nostri, qui instructi, & intenti erant, aniuaduertissent,* Aluarus Vega *primũ,* Bernardus*q́; solerius, qui sub eo ordines ducebat, uir ab ineũte æta-*

te in studijs bellicis uersatus cum tota cohor=
te, deinde Antonij Auriæ milites, quos in
suis triremibus uehebat, impetum in arcem
fecerunt; perq; turris ruinas audacter ingres
si, arce statim potiti sunt. Sed Antonij sig=
num primum omnium in summa arce, quòd
ascensus ferenti opportunior, ac facilior con
tigit, statutum fuit. Barbari, qui resistere
pugnando conabantur, omnes interfecti. ad
sexcentos ibi homines capti fuere. In ea ex=
pugnatione supra ducentos ex nostris uulne=
rati sunt. decem perierunt, pleriq; clari, stre
nuiq; uiri; quos inter Franciscus Mendosa
Diui Ioannis Hierosolymitani miles, qui dũ
euadere in murum nititur; Sclopetti ictu se=
cundum aurem inflicto, cecidit. Didacus Rui=
sius, qui dum Aluari Vegæ tribuni sui iussu
monet milites, ut ab hostium ictibus sibi ca=
uerent, ipse melius alijs, quàm sibi cauens
transfixo pectore mortem occubuit. Nauar

retus cum summas muri partes iam teneret, inde ui hostium deturbatus ferro lanceæ, per quam subierat, quæq; terræ defixa adhuc hærebat, se induit; eoq; per clunes ad dextrũ humerum adacto uitam cum morte commutauit. Gherrus, *cui instruendi aciem, ordinesq; explicandi negotium datum fuerat, dũ arcem intrepidus, sed properans speculandi studio circumibat, & ut uideret an testudo quædam repente constructa ad idoneum acta locum esset, a* Sclopettario *et ipse percussus pronus humi prostratus est;* Et *paulo post interijt.* Etiam *in classe iactura facta est: duarum enim* Sicularum *triremium, in quibus tormenta uitio fortasse conflata, uel incuria eorum, quibus curæ erant, instructa, magno impetu, sonituq; effracta sunt.* Altera *saluis tantum remigibus, & armamẽtis amissa: altera proræ parte diminuta, atq; in fundo perforata est.*

HORATII NVCVLAE INTERAMNATIS COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI.

LIBER SECVNDVS.

CAPTO, *direptóq; Monasterio, & si multi putarant illud oppidum præsidio à nostris firmandum, tenendumq; esse: quòd ad Aphrodisij expugnationem id multum interesse crediderant: tamen Auria nullum ibi præsidium censuit relinquendum: quòd paucos, primũ habere se milites perspiciebat: deinde, quòd ita fractas eius oppidi uires, magna oppidanorum parte cæsa, reliqua in seruitutem redacta, arceq; diruta animaduertebàt, ut ad id oppidum obtinẽdũ*

nullum

nullum unquam tenere ibi præsidium opus esset: & qui fuga saluti suæ consuluerant, ita paucos esse compertum habebat, ut nihil ibi reparare contra nos possent. Quamobrem nullum ibi præsidium reliquit: & in ea sententia confirmatus, ut statim bellum aduersus Aphrodisium susciperetur; propterea quòd si id in aliud tempus dilatum esset, ita interim illud militibus, opere, & commeatu per aduersarios firmandum esse præuidebat; ut, quod sæpenumero dixerat, nullis postea opibus è manibus hostium, in totius Christianæ Reip. perniciem extorqueri posset. Re deintegro ad conciliū relata, cum uidisset omneis ad unum in suam sententiam discedere: placuit cum Ludouico Peresio Varga arcis Gulettæ præfecto uiro strenuo, atq; in rebus bellicis diu, multumq; non parua cum laude uersato, eam rem communicari, ut ab eo etiam tormentis æneis, pilis,

Sulphureoq; puluere iuuaretur. Itaq; nulla interposita mora, cum secundi ab oriente spirarent flatus, cursum, quem nostra classis ad eam arcem direxit, ex sententia tenuit. Idem censuit Ludouicus Peresius continuò faciendum; pollicitusq́; fuit, se Curubis cum rege, qui præpotens in Africa, sibiq́; amicissimus erat, acturum, ut si ille rebus, conatibusq́; nostris ob aliquam rationem auxilium non præstaret, minime tamen nobis ad uersaretur. Se daturum etiam operam, ut quibuscunq; rebus posset, res nostras adiuuaret. Sed quoniam non putabat, quæ ipse ad eius arcis defensionem tormenta ænea habebat, ad tam munitæ urbis expugnationem satis esse: nec uolebat ipse arcem rebus ad eam defendendam necessariys temere priuari: censuit ex regno Neapolitano milites, tormenta, reliquasq́; res, quæ ad eam prouinciam capiendam expetebantur, aduehen=

das esse : commeatum autem, & partem Hispanorum militum, qui in prouinciæ Siciliæ præsidio ad tempus erant, illinc petendam, & Principi seorsum dixit, sibi non displicere; quòd eius belli summa ad Ioannem Vegam illius insulæ Proregem belli, pacisq́; artibus præclarum uirum deferretur; quòd futurum ipse putabat, ut eo tantum negotium suscipiente, illud ex omnium sententia conficeretur. Id Ludouici consilium, cum omnibus, Auriæ inprimis, qui multa quoq; in eã sententiam plena consilij & prudentiæ dixerat, perplacuisset, publice decretum fuit, ut bellum continuò aduersus Aphrodisium susciperetur. Dimisso Principum concilio Garsia, quem Neapolitanæ classis præfectum diximus; cum occasionem sibi oblatam putaret, qua eius belli summa ad se deferretur: immortalemq́; inde gloriam sibi breui compararet, Auriam conuenit, atq; eum uehemen

ter hortatus, ut in sententia permaneret, quòd eam rem Cæsari, ac Christianæ Reip. utilem, nec factu difficilem existimaret, pollicitus fuit, se Hispanos milites, cõmeatum, tormenta ænea, & non modò ad ijs utendum, sed omnia quæ ad eius Vrbis oppugnationem necessaria essent, si iustus triremium daretur numerus, Neapoli aduecturum. Quod Garsia obtulit, dixitq;, libenter amplexus est Auria, eumq; à fide, animiq; magnitudine uehementer probauit, & cum duabus, & uiginti longis nauibus Neapolim statim repetere, atq; ex eo regno, quæ ultro pollicitus fuerat, transportare ad se iussit. Accersitũ tamen Ferdinandũ Vegã Siciliæ Proregis filium monuit, ut euestigio ad patrem rediret, eiq; suo nomine diceret, In Cesaris, & Christiani nominis rem esse putare, si Aphrodisium eo tempore caperetur; rei benegerendæ opportunitatem adesse.

cui si desint, se non tã facilè posthac habituros. Quamobrem rogare eum uehemẽter, ut id oneris non inuitus susciperet, & quàm citissime fieri posset, de militum numero, qui in prouincia cogi possent, deq; rebus omnibus, quibus ad id negotium conficiendum opus esse censeret, pro sua prudentia, &, qua semper solitus est, diligentia prouideret, seq; ad profectionẽ, & ad eam prouinciã capiendam omnino pararet: proptereaquòd tota bene agendæ rei spes in eo dũtaxat reposita esset. Se interim quasi in obsidione eius urbis, utne quid rei frumentariæ importari, ne ue mari subsidium mitti posset, mansurum esse. His acceptis mandatis Ferdinandus assignatam sibi triremẽ conscẽdit, & unà cũ Garsia Siciliã uersus nauigare cœpit. à Lilybeo hic Panormum, ille autem Neapolim petijt. Interim Princeps per Bucarũ Tunetis regis filiũ certior factus, Siagulem in eo maris tractu sitã

facile etiam capi posse, sibi illuc eundum quã primum censuit; ut aliquo pacto illud quoq; oppidum in Cæsaris potestatem redigeret; etiam, si fieri posset, Bucarum ibi Regem constitueret, ut tota ea regio pro nobis staret. Itaq; cum in ipsius oppidi conspectu fuit, misit, qui oppidanis diceret, Cæsaris classem, quam coràm adesse cernebant, habere in animo moritima eius tractus oppida illius Imperio subijcere, quæ sponte se dederent, cum ijs optime actum iri, quæ uerò imperata facere recusarent, ea cædes, seruitutem, omneisq; calamitates passura esse. Quamob rem hortari illos, ut Cæsari mitissimo omnium principi obtemperarent; &, quod maxime ipsis in optatis esse debebat, Bucarum Azeni legitimi ipsorum Regis filium, cum Siagul pars Tunetani regni esset, in suum regem acciperent. Hoc Cæsari gratissimum fore; seq; daturum semper operam, ut ipsos

eius facti nunquam pœniteret: propterea quòd exploratum habebat, Cæsarem uehementer Bucarum diligere: & eius causa optime de ipsis meriturum, eosq; tutos ab omnibus iniurijs, & calamitatibus præstiturum esse. Auriæ nuntius benigne ab oppidanis exceptus, & eius mandata libenter audita, atq; accepta sunt: nam & Cæsaris iustissimi Principis ditionem augeri cupiebant: & Bucarum ipsum plurimi faciebant. Quamobrē responderunt omnes, se & ad Cæsari usque quaq; parendum; & ad Bucarum in Regem accipiendum, paratos esse. Quo circa factum est, ut, eiecto inde Hali, barbaro strenuo quidem, ac ualido, qui Aphrodisium, cum parua illa manu, quam secum habebat, statim petijt, benignissimeq; acceptus est, nostramq; ex ea urbe uictoriam diu, multumq; suo ingenio, atq; industria moratus est, Bucarus Siagulis oppidi Rex per Auriam appellare-

tur, & oppidani magno cum plausu auctores fierent; & eo ibi relicto Princeps ad Aphrodisium, ut nequis illò ingredi, nèue quicquam importare posset, reuerteretur. Sed paucis post diebus accidit, ut Barbarus quidam inter Arabes facilè Princeps, ac Bucaro ipsi in primis notus Siagulem proficisceretur, eumq; officij gratia conueniret. Sui aduentus eam dicit esse causam, ut, quoniam audierat, ipsum Regem creatum, & paucos secum habere, à quibus, si quid accideret, defendi posset, polliceretur Arabum præsidium; quo oppidum firmari, regnum stabiliri, & ipsius auctoritas, atq; existimatio maxime augeri posset. Quamobrem, si uellet, præstò ipsi cum præsidio affuturũ. Ea barbari humanitate gauisus est Bucarus, gratijsq; illi actis; rogauit uehementer, ut, quod ultro pollicebatur, continuò re ipsa præstaret: Se enim daturum operam, ut officijs

non uinceretur. His uerbis dimissus à Rege barbarus paucis interiectis diebus ad constitutam diem cum præsidio rediijt. Sed cum Bucarus ipse uideret, nihil sibi ab Auria relictum esse, seq; propè nihil habere, quo id oppidum in sua ditione tenere, ibiq; præsidium ad sui, & illius tutelam alere posset, relicto oppido cum Barbaris illis inde abijt: atq; inter eos tantisper uersatus est, dum Cæsaris exercitus in Africam oppugnandi Aphrodisij causa traiectus. Itaq; Bucarus breui per Auriam regnum adeptus est, breuiq;, cum sustinere illud non posset, deposuit, priuatusq;, ut antea, nostrorum illuc aduentum expectauit. Sed ad Siciliæ Proregem redeamus: qui, ut primum Auriæ animũ per Ferdinandũ filiũ cognouit: etsi nõ eius erat sententiæ, ut id bellum statim faciẽdũ esse censeret, primũ, quòd non dux ipse à Cæsare eius urbis causa, sed Meningis insulæ

nominatim lectus esset: ut rebus in sequentem annum abundè ad id ipsum comparatis in Libyam ineunte uere traijceremus. Deinde se ita imparatum modicis copijs, commeatu, rebus deniq; omnibus, quæ ad usus bellicos expetuntur, animaduertebat, ut non tam temere id tentandum putaret, ex quo dedecus pro laude referri posset: tamen cum ipsum Principem, cuius prudentiæ, & auctoritati plurimum ipse tribuere solebat, aliter de ea re sentire perspiceret, tanti uiri sẽtentiam non contemnendam ratus, continuò Ioannem Osorium Quinnionium affinem suũ uirum quidem iudicio, ac rerum usu admodum præditum ad illum misit; qui denuo, cũ quid ipse sentiret, tum qualis apparatus in Sicilia ad præsens esset; qualisq; tam breui tempore fieri posset, illi suo nomine exponeret. Quòd si tamen eam prouinciam suscipiendã omninò putaret, se facere non posse,

quin ipsius sententiam comprobaret, consi-
liumq; sequeretur. Quamobrem se daturum
extemplo operam, ut quicquid ad id bellum
gerendum necessarium existimaret, quantũ
in se esset, maturè prouideret. Et præstitit,
quod receperat: nam & antea, cum illud
breui futurum prospiceret, multa, ut dixi-
mus, prouideri mandarat: & eam tunc adhi
buit in prouidendo diligentiam, ut decem die
rum spatio commeatu primùm, & reliquis
copijs, quibus humanus usus carere non de-
bet, deinde tormentis æneis cum magna pila
rum, & Sulphurei pulueris ui, atq; alijs
machinis ad ferienda, disturbandaq; hostium
mœnia Naues duas oneraret. His crates
uimineas, & præacutos uallos addidit, ex
quibus, quos nunc Cauiones uocant, quòd
caueæ similitudinem habeant, cõfici possent,
ut cum primum tormenta locis idoneis dispo
nerentur, eodem tempore terra illos repleri,

& aggeres ad illorum, & militum tutelam facile iaci possent. Habitus quoq; delectus militum fuit, & omnes Hispani generis, qui ad militiæ munia obeunda idonei in prouincia sunt inuenti, nomina haud inuiti dederunt. Itaq;, præter illos milites, quos antea conscriptos fuisse, & Cephaledi, Thermisq;, & Lilybei præsidio relictos supra demonstrauimus, quatuor Centuriæ confectæ sunt: quas inter una Græcorum erat: qui & si antea leuis armaturæ equites fuerant: diuq; sub Cæsare militauerant: tamen cum idoneis tūc equis carerent, Proregi moris gerendi gratia pedibus stipendia facere decreuere. Adhæc Messanam, ubi magnum Sulphurei pulueris numerum esse compertum habebat, qui aliquam inde uim adueherent, mittendos curauit, qui tametsi maturè non perferretur: post profectionem tamen unà cum commeatu, & reliquis rebus, quas

Prorex ipſe denuo comparari mandarat, mitti poſſet. Dum Vega ad eam expeditionẽ ita ſe cõparat, ſeq; profecturũ illò eſſe, ita diſſimulat, ut nulla certa conſilij, propoſitiq; eius fama manaret, Garſia nullum remittebat tẽpus: cum ut Principis mandata exequeretur: tum ut, quam ſibi augendæ dignitatis oblatã occaſionem putarat, nequaquam amitteret. Hic enim cum exploratum haberet, Ioannem Vegam sũma uirum prudentia, ac sapientia præditũ, haud facilè in animũ inducere poterat, eũ niſi præparatis àbũde rebus, magnoq; exercitu coacto, cuius propè nulla facultas erat, tãtã eſſe prouinciã capturũ, & propterea, ut in aliud tẽpus differretur, Auriæ ſuasurũ. Et quẽadmodũ ſibi perſuaſerat, eũ illò haudquaquã profecturũ, ſic eius rei adminiſtrãdæ summã se poteſtatẽ habiturũ putauit. Quãobrẽ sũma ope ſtudebat, ut omneis hiſpanos milites, qui pro illius regni tutela Neapoli

uersabantur, secum adduceret, cuius rei & si non penitus, aliqua tamen ex parte, sed penè inuito patre, qui regnum eo præsidio destitui nolebat, compos fuit. ij mille, & quadringenti numero erant, ueterani omnes diu apud Insubres in bello antehac uersati, et inde Neapolim abhinc triennium ad Neapolitanos in officio continendos acciti. Tormentorum insuper æneorum magnam uim, & quicquid ad ijs aduersus hostes utendum opus erat, ab eodem obtinuit. Balistas præterea ad magnos lapides in hostes iaciendos, Scalas, machinas, aliaq; instrumenta bellica sibi magna adhibita diligentia comparauit. His igitur copijs, ac rebus instructus Garsia, ut sine contrauersia, quod maxime cupiebat, consequeretur, dabat operam, ut in Africam ad Principem omissa Sicilia reuerteretur; & prius se duce illud oppidum expugnaretur, quàm suæ profectionis à Nea

poli fama ad Siciliam perueniret. Sed longè aliter, atq; ipse opinatus fuerat euenit: Berengarius enim Siculæ classis præfectus, & Bernardus Chimeranus unus ex Rhodiensium triremium ducibus, qui ambo Auriæ iussu Neapolim cum illo profecti fuerant, audacter, libereq; illi coràm dixerunt, se nullo unquam pacto id, quod contrarium officio, & existimationi suæ esset, efficere posse, sed in Siciliam prius ad Ioannem Vegam nauigaturos, atq; ipsius mandata, cui maxime obtemperare debebant, executoros; præsertim, quòd de rebus ferè omnibus, quibus ad id bellum, quod parabatur, opus foret, inde esset prouidendum: Ioannes Osorius iam à Principe reuersus fuerat, eiusq; mandato ad Proregem detulerat, ipsius aduentum auidè ab ipso expectari: cum quòd rem in aliud tempus non reijciendam existimabat: tum quòd ipso auctore prosperè, atq; ex omnium

sententia euenturam pro explorato habebat. Quocirca factum est, ut Prorex Auriæ consilium sequi, & oblatam capere prouinciam statueret. Præterea, ut solertis ingenij est, cum Garsiæ consilium præripuisset, ad Berengarium scripserat, ut Panormum suo tẽpore reuerteretur. Sed eas literas ad Aluarum filium, qui cum suis militibus in ea classe Neapolim petierat, misit, illum monens, ut cum Garsia in Africam rediens prope Siciliam nauigaret, tunc illas Berengario redderet: quod & tempestiue factum fuit, & Proregis uoluntati cumulatissime satisfactũ. Id Garsia moleste admodum tulit, propterea quòd & summam rei gerendæ potestatem, & incredibilem benè gestæ gloriam sibi eo facto è manibus ereptam putarat. Sed ita profectò decipiebatur, ut, si eius ipse rei compos fuisset, & se ipsum, & exercitum, & Cæsaris existimationem perditum isset.

Quanquàm

Quanquàm non illi penitus uitio dandum pu-tamus: nã præterquamquòd ipse ob nõnulla à se mari præclarè gesta, id sibi, uirtutiq; suæ munus expetebat, per quod, si res ex sententia contigisset, & nomine, & digni tate augeri potuisset; augebatur ardentis ani mi iuuenis, quòd in Africa iuxta minorem Syrtim patruum Garsiam belli, pacisq; stu-dijs excellentem uirum amiserat, in eo scili-cet bello, quod, undequadragesimo abhinc anno Rex Ferdinandus cognomento Catho-licus aduersus Lothophagitim Insulam susce-perat, eiusq; belli summam ad illum propter uirtutis opinionem detulerat: præsertim quòd postquàm animaduertit, Ioannem Vegam, cui iure multis nominibus obti-git, eam prouinciam suscepisse, se ip-sum extemplo colligens, ità se illi mori-gerum præbuit, ut cum per omneis occa-siones illi placere semper studeret, æque,

ac parentem amauerit illum uehementer, & obseruauerit plurimum. Tribus ante diebus, quàm ipse Drepanum perueniret, Princeps Auria non tam ut negotio instaret, quàm ut commodius copiæ trasportarentur, ac nonnullis necessarijs rebus triremes instrueret: Præterea, ut Afros metu discessu suo liberaret, negligentesq; redderet, illuc appulerat: & continuò Marcum Centurionem legatum suum cum quatuor, & uiginti triremibus Panormum misit, eiq; id omnium primùm mandauit, Vt Ioanni Vegæ Proregi tum præstò esset, tum omnia ad eius nutum, præscriptumq; diligenter faceret. Sed Auriæ ab Africa discessus ità intempestiuus fuit, quod postea liquidò patuit, ut res nostræ penè afflictæ, in maximum periculum, ac discrimen adductæ sint. Sub idem ferè tẽpus, triremes Siculæ, quæ Garsiam sequi noluerant, eiusq; minas, & obtestationes

contempserant, portum intrarunt; seq; omnes mutuo plausu, lætitiaq; exceperunt.

Iam omnia à Prorege, ut diximus, parata erant; & qui suam in Africam profectionẽ uel alicuius motus in prouincia causa, antehac dissimularat, uel uerius, ne, quod summo studio in hanc expeditionem Garsia Neapoli parabat, intermitteretur; eo præcipue nomine, quòd nuntium ab Auria de ea re expectans, nondum certum proficiscendi consilium ceperat, se iam profecturum esse, palàm professus est; isq; rumor statim per prouinciam sparsus. Quamobrem Siculi ferè omnes cogitare quamprimùm cœpere, quem potissimum ex principibus Prorex abiens præesse Siciliæ iuberet. Sed cum alij hunc; alij illum tantum sustinere onus posse iudicarent, Prorex, quanquàm exploratum habebat, complureis ex primoribus quouis munẽre fungi posse: tamen non in rem esse existi-

mauit, Principem Siculum Siciliæ prouinciæ præesse: quòd aliqua forsan affectione motus, qua, qui muneribus funguntur publicis, carere omnino debent, in alios integros fortasse, & innocentes uiros animaduerteret, alios autem quouis crudeli supplicio dignos impunitos dimitteret: ex quo illud haud dubiè secutum fuisset, ut æquabilis antehac administratæ prouinciæ ratio, tenorq; pessimo publico sublatus esset. Itaq; omissis optimatibus Siculis Ferdinandum Vegam filium præposuit prouinciæ: ijs maxime incitatus rationibus, quòd raram in iuuene prudentiam pari sapientia, & grauitate coniunctam, quam uix paucos in senectute consecutos uidemus; præterea maximum in eo uirtutis lumen elucere animaduertit: quo duce illum se talem eo in magistratu præstiturũ opinatus est, & sperauit, ut maioribus suis, se patre in primis haud indignus censeretur.

nec illi præter opinionem & spem, quam ceperat, euenit: nam patrijs usq; quaq; insistens uestigijs, ità se gessit, ut cum nihil illius quotidianæ consuetudinis in agendis negotijs prætermitteret, & nulla gerendæ prouinciæ mutata ratio uidebatur; & ipse eiusmodi se, & maiora sustinere posse onera præseferebat. Hunc tamen, antequã discederet, quid ipsi ad prouincialiũ societatem, pacemq́; conseruandam cũ uiris capitalibus agẽdũ; quid ad prouinciam ab externa ui tutandam; quid de rebus ad bellũ, si forte protraheretur, necessarijs cum senatu, magistratuq́;, & Cæsaris procuratoribus consulẽdũ, prouidendũq; esset, monuit diligenter, & instituit; nihil deniq;, quod prudentissimus rector tali tẽpore præcauere debebat, prætermisit. Ordinatis ad hũc modũ prouinciæ rebus, ac necessarijs ad bellum paratis, in nauesq́;, ut supra memorauimus, impositis undecimo

Cal. Quintilium Prorex è Regia à filio præside, & proceribus, tota ferè Ciuitate insequente, alijs, quos Aphrodisij munitus situs, & opera non latebant, illum ire fortē, ire felicem cum toto exercitu iubentibus: alijs qui illius uirtutem, animiq; magnitudinem perspectam habebant, non spem, aut curā, sed certam animo uictoriam uoluentibus, ad portum usq; deductus, primis tenebris magno omnium applausu classem conscendit; primáq; inde uigilia soluit. Sed aduersis uentorum flatibus uix secundo post die Drepanum peruenit; ubi cum Principe Auria ipsius aduentu maxime hilari, lætóq; se coniunxit, & Garsiam, qui triduo ante illuc appulerat benigne allocutus, sic paratum inuenit, ut facilè crederet, sibi illum præstò in rebus omnibus semper futurum. Sed ibi communi suo, & Auriæ consilio, nulla penè mora facta, abierunt: & postridie mane ad Egusam In=

sulam peruenerunt: in quã eo nomine egressi sunt, ut, quoniam dies ille diui Ioannis Baptistæ natali dicatus erat, festus quidem, & omnibus Christiani nominis uiris admodum solennis, sacrificio interessent: quo statim peracto, regressi in classem, nauigationem continuarunt. & postero die in Cosyram sub meridiem uenere: ubi perofficiose, & peramanter ab eius Insulæ habitatoribus, & incolis excepti: Nam quicquid illi frugum, quicquid pomorum, & aliarum copiarum habebant, sponte obtulerunt. Sed omnia non nisi persoluto prius pretio ab iys accepta. Etsi eodem die inde discessum est: tamen cum nullus penè flatus esset, uix ad eam eiusdem insulæ partem, quæ in Africam uergit, peruentum. Prorex cum paucis in terram delatus, cum benè mane esset, rem diuinam fieri iussit. Ibi aliquantulum nullo spirante flatu cõmoratus est. à meridie,

inde leui admodum flante aura nauigare cœperunt; eo scilicet consilio, ut nisi uentus increbesceret, uel Monasterium, quod iam propè erat, uel paruulas Insulas, quibus à Cuniculis nomen inditum, supra demonstrauimus, classe peterent. Sed frigidi terræ anhelitus, ità uentum intempesta nocte auxerunt, ut Auriæ consilio nostri ad Aphrodisium cursum dirigerent: ad quod postridie eius diei paulo post meridiem cum duabus illis nauibus, quas commeatu, & munitionibus oneratas diximus, nam eas nunquam omiserant, peruenere. Ioannes Vega pro singulari, qua est humanitate præditus, nulla interposita mora cum ducibus, et primoribus classis Principem Auriam conuenit, ut quid agendum esset, communi prius consilio decerneretur, & ille primus omnium rem referret, ac discessionem faceret. Sed cum ab illo Auria mansuetudine & modestia uinci

nollet, se ei cedere omnino affirmabat: atq; id, ea causa facere uidebatur, ut cum Vega retulisset, post aliorum sententias rogatus & ille suam diceret, in quam reliquos ituros arbitrabatur. Sed eorum uterq;, dum alterius habere rationem studebat, nullum consultandi initium faciebat. Quamobrem Auria non se relaturum, sed quid ipse sentiret; breuiter dicturum professus est. Eius sententiae summa hæc fuit, ut Aphrodisium, siue Arabes amici, siue hostes essent, oppugnaretur: nam ipsius Vegæ, cui summa rerum mandata erat, prudentia, & rei militaris scientia, usuq́;, & cæteris uirtutibus maximo duci consentaneis, quibus illũ ornatũ uidebat: ac ueteranorũ militũ, quos habebant, uirtute, roboreq́; sæpenumero perspecto, breui fore sperabat, ut omnino uictoria potirentur, eamq́; ciuitatẽ Cæsaris imperio subycerent: ex qua postmodum tota Libya capi posset.

Quòd si in aliud tempus id negotium differretur, præ loci ingenio, situq́; ità opere id oppidum firmari, muniriq́; posset, ut frustra postea quibusuis opibus tentandum esset. Quamobrem occasionem, quam offerri uidebant, libenter arriperent; & suæ & Cæsaris gloriæ uno tempore prouiderent. Zanclus Rhodiensis classis præfectus, & Antonius Auria, qui deinceps rogati sententiam fuere, illud idem efficiendum censuere, nisi quòd Antonius, ut est magni uir consilij, & non rei modò naualis, sed etiam bellicæ admodum peritus, addidit, ut locus in littore, ubi commeatus, & quicquid munitionum causa ueherent, constitui tutò posset, prius communiretur, quàm inde ad oppidum castra mouerent. Cæteri in eandem sententiam discessere. & eò factum est, ut cum Siciliæ Prorex idem sentiret, Principis sententiam, quiq́; illi assensi fuerant, uehementer proba-

ret, atq; id pro auctoritate sua confirmaret, cunctisq́; persuaderet, ut monumentum illud, quod Antonius suaserat, omnino fieret, & ducentorum militum præsidio firmaretur. Ac, nequid tẽporis amitteretur, statim quod collocandum in eo erat, è nauibus illò conueheretur, nostræq́; triremes illi, quàm proxime fieri posset, tutelæ causa admouerentur: deinde reliqui milites in terram exponerentur, ut eos ad capiendum collem, quem e regione urbis, cum oculos circumtulisset, atq; omnia ijs perlustrasset, paruo occupatum præsidio uiderat, extemplo duceret, ibiq́; castra communiret: existimabat enim maxime in rem esse, si is collis in nostrorum potestatem ueniret, simul quòd quid animi haberent Arabes nondum sciebant, quos si nobis hostes, & præsentes adesse contingeret, non erat dubium, quin ea in re magno nobis impedimento esse possent. simul quòd

inde haud dubiè sequebatur, ut oppidum à re frumentaria, & reliquis commodis, quæ mora temporis ſuggerere ſolet; deniq; ab omni ſubſidio intercluderetur. Quod quidem tametſi ab omnibus comprobatum fuit uehementer: tamen ex Auriæ conſilio milites in terram deponendi negotium, quòd nondum tota claſſis conuenerat; in poſterum diem dilatum fuit. Nec ea temporis dilatio malè cecidit: etenim ante lucem, cum luna pernox eſſet, & non parua Scapharum, & nauigiorum, quæ remis impelluntur, suppeteret copia, milites in continentem eo ordine exponi cœpere, ut unius horæ ſpatio, aut paulò amplius omnes in littore inſtructi eſſent. Ex ijs duæ acies confectæ sunt: altera ex ijs modò, qui è regno Neapolitano aduecti fuerant, conſtabat: altera tum eos, qui in Sicilia conſcripti fuerant, Aluaróq; Vegæ parebant, tum quibus Ferdinandus Lupus præ-

positus fuerat, præterea Diui Ioannis Hiero solymitani milites strenuos quidem, & pulcherrime instructos continebat. Dum ad hũc modum instruitur acies, iam munimentum in littore non longè ab eo colle, quem castris elegerant, fieri cœptum: quod & Prorex ipse designauit, & ad alios inflammandos primus pala uertere terram cœpit. quo quidẽ exemplo breui postea confectũ fuit: præsertim, quòd cũ ex Vegæ sententia duæ cẽturiæ, quarum altera Hispanorum, quibus Solerius præerat, altera Græcorũ, quibus Matthæus imperabat, in illius custodia relictæ essent, ducũ diligentia, & militum industria nullum in muniendo tẽpus remissum, & interea, dũ agmina procederent, penè absolutum opus fuit. Garsia prius agmen ducebat; posterius Siciliæ Prorex, collemq; uersus, sed longè ab oppido, ne ab oppidanis tormentis æneis ferirentur, incedebant;

ab eo non amplius ducentis passibus aberant, cum ex priori agmine ex ijs, qui, quòd Archibusijs tormentis non primi inuentis hostem feriant, archibusiarij nominantur, ducenti: ex altero autem trecenti, qui eisdē tormentis utebantur, subducti sunt. Cum ijs Ioannes Osorius Quinnionius, & Morerola strenui duces ad collem occupandum, & hostes, qui in eo apparuerant, deijciendum missi: qui celeriter sed insequentibus agminibus profecti sunt: ut, si quid ijs forte accideret, opportunum præstari auxilium posset. Et facilè, quod cupiebant, assecuti, barbari enim qui locum obtinebant, quamprimùm cessere, seq; in urbem sparsa fuga recepere. Quare agmina statim consecuta sunt, ibiq; castra, ut constituerant, posuere: locum enim ita munitum, atq; idoneum inuenere, ut ab omni hostium etiam innumerabilium impetu, quiq; maximo equitatu pollerent, se

tutos usq; quaq; fore animaduerterent. Nam *præterquam quòd editus natura, ac præceps est, optimis aquis abundat, lignis uerò pe= nitus non caret; & qui in ea urbe uersaban tur, sic intercludebat, ut nulla penè egre= diendi, nec quicquam importandi facultas esset.* Po*sitis igitur, communitisq; castris, maximam* Vega *diligentiam adhibuit, ut na ues quamprimùm exonerarentur: & com= meatus in horreis conderetur:* Tormenta *au tem, & quicquid muniendi, & commodè illis utendi gratia comportarant, opportunis locis constituerentur. Sed perflante eo die* Au*stro, id non potuit ex* V*egæ sententia tã celeriter perfici, quod autem in illius manu fuit, misit ea nocte* Gar*siam, & cum eo* Ludouicum Pere*sium* Gulett*æ præfectum, qui* Principis Auri*æ triremi paucis ante die= bus ipsi ob eam causam relicta uectus illò se officij causa contulerat, ut cum sex præfectis*

militum omnia ſpecularentur, ac diligenter explorarent: ut certior inde fieret, ubi ænea tormenta diſponi, & commodè hoſtium mœnia quaſſari poſſent. Id ab illis ſtrenue factũ: etenim loca urbi proxima, & tormentis diſponendis perquàm idonea, sed communicato prius cum Vega conſilio, delegerunt, qui & illuc profectus eſt, & illorum electionem probauit. Sed accidit, cum urbis muros ſpecularentur, ut nonnulli ex oppidanis, qui uel eruptionem fecerant, uel in ſtatione extra urbem uigilabant, nec ab illis præ noctis obſcuritate præuiſi fuerant, duo miſſilia tela in noſtros torquerent: quorum alterum Ludouici Galeam uix tetigit: alterum autem aberrauit. Huic à cæteris ſubſidio uentum; & quòd ueriti inſidias fuerant, ad arma cõclamatum. Quamobrem factum eſt, ut ipſemet Vega è caſtris cum magna militum manu recipiendi eos gratia, illò deſcenderet, &

nullo

nullo ab ijs detrimento accepto, ac locis omnibus diligenter exploratis, in castra reduceret. Eodem ipso die, cum nostri Aphrodisium peruenere, nonnulli Arabes sciscitatum uenerunt, an Azenus Tunetis Rex in classe ueniret: & edocti à nostris illum aduenisse; sibi cũ eo loquendi potestatem fieri petiere: qua per Vegam, Auriamq́; ipsis facta, in quadriremẽ, ubi Rex manebat, transiere, eumq́; & uenerati sunt, & allocuti. Cum primum Rex aduentus illorũ causam cognouit, se inde ad Vegã, Auriamq́; contulit, ipsisq́; quid noui illi attulissent, renuntiauit: esse uidelicet in ea regione Arabes, qui circiter quatuor millia numero erant, equites omneis, qui audacter pollicebantur se illorum finiũ, ut ab omni hostiũ impressione tuti essent, custodes futuros, & cõmeatũ abundè ipsis præbituros esse. Benignè illis responsum fuit, tã promptũ ipsorum animum, & quod se effecturos recipiebant, q̃ gratissimum

accidere. Quod si re ipsa, ut sperabatur, præstaret, exploratũ ipsi haberent, se apud gratos homines posituros; qui non modò non cõmitterent, ut officijs uincerētur, sed cumulatè, quod in ipsõs constaret, remunerarentur. Atq; id nõ eo nomine factum principio fuit, ut putaretur quicquã fidei illis habendum, cũ rumor manaret, & re ipsa constaret eos quidem certè homines leuissimos esse: tamẽ Bucarus ipsius Regis filius, qui ab illis postero die ad castra uenerat, nuntiauit nostris, ex ijs supra mille equites sibi amicissimos ad quinq; millia passuum cõsistere: qui neminem ad negotium nostris facessendum uenire paterētur. Eodem die ex literis, quas Tunete Buametus Vledus, & Adrametus Benus nõ paruæ in ea urbe, ac regione auctoritatis uiri ad Azenum dederant; quibus se eius aduentu mirum inmodum lætatos scribebant, cognitum est uniuersum Tunetis regnum uehementer cõmotum, ut primũ auditũ

est Cæsaris classem ad Africæ tractum appulisse: & Hamidam tyrannum, quē paucis ante annis summa cū impietate Azenū patrē uno tempore orbasse oculis, regnoq; spoliasse demonstrauimus, magno timore affectum esse: & ea ratione Arabes cognomine Fricenses, iis qui prope Aphrodisium degebant, maxime infensos, & Vledum Zeitum eorum præfectū accersisse. Hi regi Azeno pollicebantur, se illi præstò semper futuros, si se in fidem, & clientelam acciperet. Addebant insuper centum equites non longè inde abesse, qui ipsum Azenum alloqui, & cum eo de cæteris rebus ad cōmunem omnium utilitatem spectantibus cōmunicare cuperent. Hi omnes Numidæ re uera sunt, sed Arabū nomine magis gaudent, quòd Mahometem in Arabia ortum ferunt. Hi nec certas domos, nec sedes habent. Et quoniam ex rapto uiuunt, modò hæc, modò illa loca, unde se aliquid uel frugum, uel pecorum abacturos

sperant, turmatim petunt: & sub dio cum suis familijs in tabernaculis uiuunt: leues quidem homines, & nullius propè fidei esse constat. ex equis assiduè pugnant: iaculis breuibus ad hostem eminus feriendum, & falcatis, quibus cominus prælientur, ensibus, ac prælongis duplici plerisq; munitis ferro utuntur lanceis: quibus etiã fugientes ipsi insequentem hostem feriant. Clypeis ab hostium ictibus se subducũt, turmatim equitant, ac uagantur: et turmæ omnes præfectis suis, quos ipsi per suffragia eligunt, creantq; haud inuiti parent, & certis inter se legibus uiuunt. Non desinam hic commemorare rem quidem non prætereundam silentio: quòd inter eos Numidas primaria fœmina uersabatur, uel potius parti illorum præerat, eamq; morigeram semper habebat. Hæc illorũ præfecto genere, & factis, ut inter barbaros, claro uiro, nupta fuerat: quem & si ipsa in flore iuuentutis, & pulcherrima amiserat: tamẽ

& prudentia, quæ rara est in fœmina: & pudicitia se tanto uiro dignam præstitit. Quarè factum est, ut quibus uiuens maritus imperauerat, non secus uiduæ ipsi morem gererent, atq; illi antea non inuiti paruerant: etenim coniugis insistens uestigijs, ità erga omnes se gerebat, ut cum nulla administrationis facta mutatio appareret, uehementer ab omnibus coleretur. Hæc Vegæ uirtutibus allecta, quarum fama totam ferè Africam iam peruaserat, suas partes esse duxit ea integritate, & præstantia uirum sibi conciliare. Itaq; egregium illi munus agrorum fructuum, auium cohortalium, & pecorum misit: etiam qui suo nomine diceret, se illum officij causa couenturam fuisse, si decuisset fœminam uiro orbatam, atq; ætate integram, nec deformem uiri adhuc iuuenis tabernaculum ingredi. Oblectatus mirum immodum Vega est non tam munere, quàm iugenio, dictisq;

non barbara muliere, sed quæ uel Romæ, uel Lacedemone nata esset, dignis, munusq; libenter accepit, summisq; illam laudibus ad cœlum tulit: contraq; illi sericas uestes, mellitos panes, aliaq; eiusmodi melle condita, etiam poma omnis generis, quæ nuper è Sicilia allata fuerant, dono misit: ac per nuntium significauit, se, quod magis deceret, ipsam uisurum, si propius accedendi daretur occasio: interim si quid eius causa posset, se libere uti uellet, quòd officium tantæ uirtuti debitum, quantum in se esset, non prætermitteret. Sed illud Vegæ per interualla locorum, belliq; molem præstare non licuit; quòd libentissime quidem effecisset, ut de facie, congressuq; cognosceret, cuius ingenium minime barbarum existimarat. Ex eo Numidarum numero complures eodem die boues, uitulosq; in castra perduxerant: etiam nonnullas cohortales attulerant aues: pro

quibus, cum pretium, quod ipsi indicarant, recepissent, nullo non die postea idem non inuiti fecere. Edicto etiam Vega, Auriaq; cauere, ut quicunq; commeatum, reliquasq; copias ad uitæ usum necessarias in castra conueherent, uenaleisq; haberent, cum accessus, recessusq; omnibus tutus esset: tum præfinitum ab ipsis pretium persolueretur. Quamobrem tanta rerum copia in castris erat, ut in celeberrimo esse emporio omnes uiderentur, præsertim, quòd Ferdinandus Vega, qui Siciliæ præsidebat, summa primum pietate in patrem: deinde officio, quod Cæsaris copiis præstare debebat, incitatus penè quotidie onusta illuc nauigia dirigebat, & fructus, quibus eam regionem carere existimabat, illò potissimum perferendos curabat. Ad quod, & reliqua omnia, quæ tum ad quietum prouinciæ statum, tum ad Aphrodisiense bellum conficiendum pertinebant, ità Præses

uigilans, atque intentus erat, ut patrimonij Cæsaris procuratores, eosdemq́; consiliarios excubare, uigilare, sibi noctu, & interdiu præstò esse, ac uehementer laborare iuberet: ijs enim Præses, quæ agenda erant, imperabat: illi autem properè, ac diligenter eius mandata exequebantur; ij erant prudentes, & ipsius Cæsaris testimonio probati uiri Andreas Arduinus Consultor regius, Iacobus Abates, Ioannes Solyma, Petrus Augustinus, Guilielmus Bonannus, ac Quæstor regius Philippus Rocha: etenim præclaro ipsius Cæsaris instituto dum qui integræ uitæ fuerant, ob bene administratã remp. Drepani collaudabãtur, et qui parum syncerè sua munera obierant, ignominia notabantur, hi publico præconio celebrati sunt. Horum igitur diligentia, & acri Ferdinandi Præsidis uigilantia, promptoq́; in explicandis difficillimis rebus consilio, necnon expedita, grauiq́; in dubijs

deliberatione, qui senibus illis rerum usu, atq; experientia probatis nonnunquam in capiendo consilio titubantibus, ac propter ancipites negotiorum exitus æstuantibus adolescens ipse sua sapientia, consilióq; succurrit, factum est, ut in prouidendis rebus omnibus, quæ commeatus & munitionis causa expetabantur, necessariæq; erant, non maturè solum conquirerentur, uerumetiam celeritate incredibili in Africam transportarentur. Præsertim quòd Proregis, Præsidisq; mandato Ioannes Osorius Sylua egit diligenter, ut cum regium ærarium penè esset exhaustum, locupletes, & pecuniosi homines pecuniam, quanta ad eius belli sumptus faciendos opus foret, Quæstori regio mutuam darent. His tantis commoditatibus nostri in spem haud dubiam principio uenerant, breui futurum, ut oppido potirentur: & putabant id tantummodo morari uictoriam, quòd tormenta ænea nondum collo-

carant. Itaq; omnem adhibuerunt diligentiã, ut id, quamcitissimè possent, exequerentur: et duobus maxime idoneis delectis locis, quorum alter circa collis radices, in quo castra inerant, quinquaginta supra trecentos passus ab urbe distans: alter non amplius ducentis quinquaginta à muro aberat, & mari ad orientem uergenti proximus erat. In ijs bipartitò maiora tormenta ex eo genere, cui à cannarum similitudine nomine indito, Cannones appellamus, duodeuiginti constituerunt; in singulis scilicet locis nouena: ducto, iactóq; prius aggere, qui ab inferiore loco ad mare occidentis usq;, & illinc reflexus ad superiorem perducebatur: ex quo alter qui in orientis sinum protendebatur, exibat: tutusq; ijs ad utrunq; locum accessus, recessusq; nostris erat. In ijs iaciendis maxima Garsiæ diligentia, industriáq; enituit; qui non modo ea in re, sed in cæteris, quæ ad parandam

ex barbaris uictoriam, Aphrodisiumq́; expugnandum pertinere uidebantur, & celeritate incredibili, & industria singulari usus est, & summam animi magnitudinem præ se tulit. Pro ijs aggeribus passus ab urbe circiter centum quinquaginta locus itidem à nostris uimineis cratibus, uallis, pluteisq́; & terra communitus, atq; octingentorum archibusiariorum præsidio firmatus fuerat: ut illorum metu nulla hostibus consistendi in muro potestas esset. Sed dum à nostris aggeres iaciebantur, hostes non semel, & iterum eruptione ex urbe facta ad munitiones usq; audacter progrediebantur, telisq́; in nostros operi intentos coniectis, ac nonnullis ex ijs uulneratis, se in urbem festinanter recipiebant. Sed cum rursus breui interiecto tempore maiore concursu, atq; impetu reuersi essent, nostri iam sibi præcauentes, quòd illud futurum præuiderant, in illos infestis armis con-

uersi sunt, ac non modo sparsa fuga illos in oppidum reiecerunt, sed etiam ex ijs alios occiderunt, alios grauiter sauciauerunt: quos inter Turca fuit, quem tum uirtute, tum generis splendore cæteris anteire dicebant. Accidit præterea aliàs alia pugna, quod non prætereundum silentio duximus, ut cum neminem sua laude fraudemus, reliqui proposito præmio ad uirtutem capessendam excitentur. Lusitanus quidam miles, cui nomen Sosa erat, non æquo animo ferens tantam Scytharum, oppidanorumq; audaciam, qui nulla penè timoris significatione facta in stationes nostras erumpere nitebantur, cum tormentum, quod manu habebat in hostes ex ipsis aggeribus explosisset, eo statim relicto gladium infenso animo distringit, arreptaq; è solo læua manu corbe, qua in opere faciendo usus fuerat, ut ea pro tempore uice clypei uteretur, è munitionibus extemplo desilit,

magnoq; impetu in confertissimum hostium agmen inuehitur, ex quibus dum solus ipse non paucos sauciat, terga uertere omnes cogit, & usque ad mœnia persequitur: &, quod illi maximo decori fuit, leui tantum in altero fœmore accepto uulnere incolumis ad suos reuersus: egregiamq; laudem ab omnibus tulit, à Vega in primis, à quo non modò uehementer collaudatus, sed etiam insigni munere donatus est. Ex eo militis facinore, & reliquorum uirtute secutum est, ut hostes postea se oppido continerent, ac nostræ munitiones perficerentur. Quamobrem spes nostrorum quotidie magis augebatur: Nam tametsi oppidum loci natura, & opere munitum uidebant: tamen cum putarent, paucos defensores esse, & in eo paruam omnium rerum, quæ ad bellum usui sunt, facultatem inesse, paucorum dierum obsidione,

deditionem illam facturam crediderant. Sed ab ea opinione, ac spe, quam acceperant, decepti sunt: proptereaquòd satis magnum, ualidumq; in oppido præsidium uersabatur: & magna omnium, quæ ad usus bellicos expetuntur, facultas erat: etenim post captum, euersumq; Monasterium oppidani omnes ex finitimorum casu, quid sibi accidere posset cogitantes, summa cum festinatione fruges omneis, quæ iam maturæ in agris erant, resecuerunt, atq; in urbem importarunt. Etiam armenta, & greges in oppidum receperunt: quibus statim cæsis, in partesq; dissectis, ac multo sale seruandi causa conspersis, si quando casus, necessitasq; urgeret, uesci, seq; ijs sustentare possent (constat enim Afros, Turcasq; tenui uictu contentos esse, ac facilè inediam pati posse) Adhæc cum Auria relicto oppido Drepanum petijt, triremesq; inde Panormum ad excipiendum Proregem Vegam

misit, tria nauigia commeatu, & militibus onusta subsidio illis ex Aegypto uenere: quibus ualde oppidũ firmatum fuit, Turcæ enim, & Aegyptij, qui in illius præsidio iam uersabantur, sexcentorum numerum excedebant: ijsq; ad mille Afros, atq; ex ijs trecentos, qui sclopettis utebantur, delegerant: quibus ità confidebant, ut nullam externam uim sibi timendam putarent. Nec erat, quamobrem nostri sperarent intestina discordia, ut malè antea edocti fuerant, expugnari urbem posse: proptereaquòd oppidani cum exteris ad urbis defensionem concordes erant: & non nulli ex ijs, qui in suspicionem Turcis uenerant, in uinculis habebantur: præterea oppidum ipsum præterquamquòd ualido muro circumdatum fuerat, ità loci natura muniebatur, ut magnam ad ducendum bellum daret facultatem: proptereaquòd penè totum mare cingitur, & spatium, quod non amplius

ducentorum & triginta passuum esse diximus, qua mare intermittit, quod partim in meridiem, partimq; in occasum uergit, firmissimis mœnibus, turribus, propugnaculisq; munitum est: quæ cum terra ad summum repleta, & firmissimo structuræ genere, quo Mauri utuntur, ædificata olim fuissent, nullis penè tormentorum ictibus deijci, aut disturbari poterant: ante hæc & altera, sed humiliora constructa erant mœnia, quæ plures, sed multo minores, è regione sitas habebant turres, itidem terra ad summum repletas: & interuallum, quod inter utrunq; murum est, nisi qua transitus per septem portas æreas non rectè, sed obliquè positas, in urbem patebat. Hæc ita munitam reddebant urbem, ut nullam hostium uim, aut conatum formidarent. Augebat etiam rei difficultatem, quòd præter loca urbi proxima, quæ & uadosa, & inæqualia sunt,

triremes ad eam accedere nequaquam poterant. Quarè fiebat, ut è mari nusquam commodè murum tormentis deijcere, nec siqua forte deiectus foret, qui ab ea parte aggrederentur, immittere possent.

In eo latere, quod Orientem spectat, portus est intra Vrbem, sed paruarum cymbarum capax, quà si classi accedere propius licuisset, magna inde commoda nostris fuissent: & facilè inde inuadi urbs, atq; expugnari potuisset. Sed ijs causis, quas diximus, omnis penè à mari capiendæ urbis facultas eripiebatur. relinquebatur igitur, ut ab ea tantum parte, qua oppidum firmissimum, munitissimumq; erat, summa ui oppugnaretur. Et quoniam omnis spes tanti negotij conficiendi, in tormentis æneis reposita erat, illis iam opportunis locis, ut demonstrauimus, constitutis, ac necessarijs rebus instructis ad opus

nostri accingebantur. Sed Prorex Vega, et Princeps Auria, ut duces prudentissimos decebat, censuerunt, ut antequàm murus feriri, quassariq; inciperet, tentaretur, an aliqua hostes conditione cedere urbe uellent. Itaq; cum ad tempus non paruæ auctoritatis uir ex illis Numidis in castris esset Aluis Daunus Mantassarris filius Tunetis Regi, & eius filio pernecessarius, & Isæ, atq; Hali, qui Aphrodisiensi præsidio præerant, iãpridem notus: hunc ad illos in hanc sententiam scribere placuit.

Est, quòd sciatis, me nuper ad Azenum, & Bucarum in castra uenisse, eosq́; orasse uehementer, & obsecrasse, ut à magnis Principibus Vega Siciliæ Prorege, & Auria Cæsaris classis præfecto multis precibus, & obsecrationibus peterent, ut non prius oppidũ inuaderent, quàm ego ad uos scriberem. Et ipsi illorum causa misericordia erga uos

commoti oppugnationem hodiernam, quam inferre uobis pararant, omisere: ultroq; uobis pollicentur, si soli oppido cedere uelitis, se liberam uobis exeundi potestatē facturos. Oppidanis autem, si Cæsari se dedant, nihil ex ijs, quæ possident, ademturos; eosq; tutos, ut reliquos, qui illius ditioni subiacent, ab omni iniuria præstituros: propterea quòd non eo consilio in Africam traiecere, ut humanum sanguinem profundant; sed prohibeant potius, ne Christiana respublica à prædonibus, cæterisq; nocentibus, malisq; hominibus infestetur, atq; iniurijs quotidie afficiatur: & primum omnium, ut Christiana pietas, ac religio ad sempiternam diuini nominis gloriam augeatur. Dabitis igitur operam, ut nobis hodie omnino, quid animi uobis sit, respondeatis: propterea quòd nisi per uos factum erit, cras certā ab ijs oppugnationem expectetis. Quamobrē

Dei optimi, maximi nomine uos oro, atq; obtestor, ne committatis, dum licet, & uobis integrum est, ut dum tantam lenitatem, clæmentiamq́; contemnitis, cædes, seruitutes, innumerasq́; alias calamitates & miserias patiamini. Scripta igitur & obsignata epistola, ille idem Numida hominem idoneum nactus Afrum genere, qui eam se bona fide perlaturum pollicebatur, illi quàm primum dedit: qui præstitit, quod recepit. Sed illi nec responderunt, nec egredi ex urbe nuntium passi sunt, nec quid illi postea accidisset, scire unquam potuimus. Quarè postridie eius diei ea urbis pars, quam maxime munitam diximus, tormentis illis æneis feriri cœpta: etsi diu, multumq́; ictibus penè innumeris percussa fuit: tamen quoniam mœnia, & structuræ genere, & latitudine, duos enim et triginta pedes ubi angustissima erãt, lata esse constabat, multo quàm antea renun

tiatum fuerat, firmiora erant, non ex animi sententia cæptum opus procedebat. quanquam prior murus penè totus, & bona pars posterioris ità quassata uidebatur, ut appareret spectantibus eam non longo interuallo ruinas edituram. Quarè Vega, qui nulli labori parcens rebus omnibus intererat, uehementer instabat, ut tormentorũ displosiones, ictusq; nequaq̃ intermitterentur; per quos dũtaxat fieri poterat, ut muri deijcerentur; et nostri compotes uictoriæ fierent. nam quod ad milites attinebat, eã spem Vega, cæteriq; duces in ipsorum uirtute multis ante bellis spectata collocabant, ut disturbatis mænibus, in quibus maximè hostes fidebant, exploratum haberent, nullum nostrorum impetum illos laturos. Cum igitur tantum in militum robore confiderent, & rerum omnium copiam in castris esse perspicerent; præsertim quòd Numidæ in fide permanebant:

ac quotidie aliquid afferre studebant: id potissimum Vega curabat, ut hostium munitiones crebris tormentorum ictibus prostratas uideret. Quod quidem ut facilius assequi posset, quanquàm aliqua sulphurei pulueris, pilarumq́; uis reliqua in castris erat: tamen ne tempore maxime necessario deessent, egit cum Auria, atq; illi statim persuasit, ut propere ad Ferdinandum Vegam filium Siciliæ Præsidem ijs mandatis triremem mitteret; ut si forte nauis, quam ipse abiens onerari mandarat, propter aduersos uentorum flatus nondum soluisset, triremis ipsa puluerem, pilasq́; tormentarias acciperet, & quã citissimè posset, uel secundo uento, uel remigum ui utens ad Africam remearet: aut si nauis illa Septemtrionibus uentis spirantibus uela fecisset, quicquid sulphurei pulueris, pilarumq́; Panormi relictum esset, in triremem Præses imponendum, atq; ipsam euesti-

gio remittendam curaret: aiebat enim id ad negotium conficiendum maximè pertinere: & in ipsius Cæsaris rem nihil præstantius fieri posse. Quare hortabatur illum uehementer, & rogabat, ut ea in re acri cura, summaq; diligentia uteretur. quod quidem summo cum studio, ac celeritate factum est: nã quanquàm nauis iam è Panormi portu soluerat; tamen Præses magnam pulueris, pilarumq; uim, ut per literas pater monuerat; eadem triremi cum non parua omnis generis frugum copia, perferendam curauit. Quamobrem omnes, in primis Vega mirum in modum lætatus est. Per eos dies duo ex oppidanis metu, ut ipsi dicebant, perculsi, ne expugnationem expectarent, egressi ex urbe fuerant: & ne in potestatem militum nostrorum uenirent, natando sibi salutem quæsierant: attamen in unum ex ijs Numidis, qui nostris morem gerere nitebantur, inciderãt:

à quo capti fuere, & suæ fugæ causam, & oppidanorum timorem patefecere, & ut falsa, quæ afferebant, crederentur, iis uera admiscebant. Aiebant enim primo quoq; tempore si per Turcas liceret, urbem omnes relicturos: quos etsi imminenti ruina uehementer commotos, & perturbatos confitebantur: hactenus falsa, quæ autem sequũtur uera sunt, tamen ad mortem omnes, ut strenuos milites paratos esse affirmabant: cum putarent, sibi fore multo pulchrius, si mortem dimicando oppeterent, quàm si in miseram seruitutem redigerentur. Cum illud idem tametsi ut nemo diceret, Vega ità futurum arbitraretur, exploratum habens quàm bellicosi, quamq; mortis contemptores gloriæ causa Turcæ sint, omnes curas, & cogitationes suas ponebat, ut uictoriam uel nulla, uel modica militum iactura consequeretur. Itaq; quanquàm uidebat,

murorum partem cõcussam ruinam minari: nunquam tamen censuit, oppidum militibus inuadendum prius esse, quàm mœnia euersa, ac solo penè æquata perspiceret. Præsertim quòd multis rationibus cunctari, & bellum protrahere facilè poterat: Primum enim nostri omni commeatu, & rerum copia abundabant; nec erat metuendum, ut ab ijs intercludi possent; hostes autem in maximis angustijs rerum omnium positi censebantur: ut in spem haud dubiam nostri uenirent, illos fame ad deditionem cogi posse. Deinde Numidas in fide omnino permansuros credebant: non tam, quòd illos suapte natura fidos putarent, quàm quòd in illorum rem esse cernebant, Turcas, quos maxime obesse rationibus suis experti fuerant, omnibus miserijs, & calamitatibus affici. Nouissime certus de Dragute nuntius allatus fuerat, eò iam ipsum redactum esse,

ut, qui ex Africa multis prædonibus, quibus ille pollebat, comitantibus, cum sex, & triginta nauigijs discesserat, penè ab ijs omnibus destitutus uix secum ex eo numero sexdecim biremes haberet: ac Monasterij primum direptione, deinde Aphrodisij oppugnatione audita, ità animum deiecisse, ut nunq; posthac tutũ se fore arbitraretur: ac noctu, & interdiu nil nisi triste cogitaret: præsertim quòd in Sardinia strenuos uiros, dum pagum ibi capere tentaret, circiter quadrigẽtos amiserat. Statuens igitur Vega ex Principis Auriæ, & reliquorum ducum consilio pugnam in aliquot dies exercitus seruandi causa differre, tantum de mœnibus, turribusq; disturbandis cogitabat. Quarè & castra propius hostes promouit, & in urbis munitionibus deijciendis continuos aliquot dies laborauit. qua in re cum, quantum operis factum esset, ipsum, reliquosq; duces non

pæniteret, ratus idoneum iam inuadendæ urbis tempus esse, rem ad consilium retulit, & omnibus idem sentientibus constitutum fuit, ut urbs postridie mane summa ui terra, mariq; uno tempore oppugnaretur: ut dum manus hostium diuersis locis distinerentur, facilius nostri uictoriam consequerentur. Sed accidit non multo post, quod illos mutare cõsilium, & prælio supersedere coegit. Erat in urbe Mamertinus quidam puer olim à Turcis captus, & ad illorum sectam Christiana pietate relicta, uel precario, uel ui conuersus, qui cum uideret, eas munitiones, & insidias aduersus nostros turcas parasse, ut si in urbem per eos impetus fieret, omnibus ad unum ferè moriendum esset; diuino ille afflatus numine (quod non aliter existimandum est, tantum enim beneficium immensæ Dei bonitati duntaxat acceptum referimus) ad tertiam uigiliam noctis urbem

deceptis custodibus egreditur: & ad Vegam in castra perductus, monet, ne urbem aggrediatur, nisi omnes, qui impetum in eam facerent, uellet amittere: & narrare cœpit murum interiorem, qui foris deiectus uidebatur, ab urbis parte integrum adhuc, & altissimum esse: & sub eo hostes profundam, latamq; admodum fossam duxisse: in eamq; tabulas prælongis, magnisq; adactis clauis, & stipites teretes à summo præacutos, & præustos demisiße, etiam taleas ferreis hamis infixas uicissim infodisse, ut qui forte in illam inciderent, se ipsi & uallis acutissimis induerent, & longis mucronibus, hamisq; ferreis infigerent: & ut facilius nostros fallerent, tabulis illam leuissimis operuisse: atq; ità superiniecta terra constrauisse, ut nihil subeße intuentibus uideretur. Huc addidit & tectos cuniculos egisse, & ignes artificio confectos præparasse, & à

fossæ lateribus terna, citra autem fossam aduersus irrumpenteis nostros tormenta ænea quatuor numero collocasse, ut non modò illi, qui in tectas insidias inciderent, sed etiam qui illas aliqua ratione euaderent, undiq; flammis, ignibusq́; correpti, fœdo, ac miserabili mortis genere afficerentur. Quamobrem illius oratione opugnandæ, inuadendæq́; urbis consilium omissum fuit: ne exercitus in extremum discrimen, certumq́; periculum adduceretur. Præsertim quòd oppidi potiundi spem certam habere uidebantur. Actum tamen fuit, ut in eam prioris muri partem, quæ tormentis quassata fuerat, ubi pars hostium in statione erat, atq; in turrim illi imminentem impetus fieret. Quod tametsi plerique faciendum esse censuerunt, Ludouicus Peresius in primis, quod multum nostra intererat, si inde custodes deijcerentur,

& turris illa, ex qua prospectus in urbem maximus erat, caperetur: tamen erant nõnulli, qui eam rem admodum difficilem existimabant, turris præcipuè expugnationem: quorum Vega Princeps erat; qui maiorem in diruendis mœnibus fieri progressum uolebat. Etiam uariabant sententiæ utrum noctu, an interdiu tentanda res esset, cum Vega apertè diceret, quicquid faciendum putarẽt, id clara luce (quòd barbarorum insidias uerebatur, quibus noctem peropportunam sciebat) fieri debere. Sed cum parum proficeret, ad Auriam, quem cæteris prudentia, & rerum usu præstare existimabat, quemq; in suam sententiam iturum sibi persuaserat, reijciendum putauit: ut quicquid agendum foret, per illum decerneretur. Cum illi igitur placuisset, utranq; rem noctu tentari, quòd fortasse putabat, noctem ad rem gerendam nostris opportuniorẽ fore, rei periculũ,

sed inuito Vega, factum fuit: & turrim illã ità munitam, firmatamq́; ab hostibus nostri inuenere, ut ab impressione facienda prorsus abstinendum censerent. cum omnes uiderent, se turpiter, magnaq́; indè iactura repelli posse. in eam tamen prioris muri partẽ nonnulli ex nostris militibus euasere, & ad manus cum hostibus uenere: etsi nonnullos ex illis interfecerunt, ex nostris quoq; circiter sexaginta ceciderunt. Quarè cæteri siue metu, seu nocte perterriti, re infecta pedem retulerunt, sed turcæ, oppidaniq́; ut nobis illuderent, ac de illato nostris ea nocte detrimento quodammodo triumpharẽt, occisorum militum nostrorum capita prælongis primum hastis infixere: deinde in summis mœnibus, ut è castris ab omnibus conspici possent, tanquam trophæa, quæ bellicæ laudis uictoriæq́; insignia, & monumenta sunt, statuere. Cum ità res haberet, communi principum

consilio decretum est, ut maior in quassandis mœnibus progressus fieret, cuniculi agerentur, ac non nullæ machinæ, instrumentaq́; bellica conficerentur: ut omnibus modis urbem inuaderent, ac parua militum iactura uictoriam, si fieri posset, consequerentur. Sed quoniam, ut id exequi maturè posset, uidebat Vega magna sulphurei pulueris, cæsaq́; materia opus esse, triremes quatuor ad arcem Gulettam, ut inde puluerem, pilasq́; adueherent: ad Siciliam uerò duas ob eandem causam, & ut aliquam insuper materiam, & culcitras, lectosq́; ægrotantium curandorum gratia perferrent, Principe nō repugnante, mittendas curauit. cum ijs saucios milites, & male affectos Drepanum, ut ibi commodius curarentur, misit. has cōsecutæ sunt aliæ quinq;, quæ Neapolim petierunt, & indæ trecentos prope milites in Africā reportarunt. Post illarum ex Africa

discessum

disceßum Marcus Centurio Auriæ legatus cum longis nauibus sexdecim eas insecutus fuit, tum ut à prædonibus, à Dragute in primis, quem rumor manarat inter Pelorum, Pachynumq́; uiſum eße, tutas redderet; tum ut panem nauticum, & reliquas res neceſſarias ex Sicilia prouincia exercitui, ſibiq́; ſumeret: præterea quod perferre duæ illæ non poſſent, eas onere suis leuaret. quod quidem ex Vegæ, Auriæq́; ſententia cumulatiſſimè factum fuit. Nam de re frumentaria, & reliquo commeatu Ferdinandi Vegæ Præſidis mandato, & magiſtratus, Cæsarisq́; procuratorum diligentia Panormi abunde prouiſum; & ægrotis, ſaucijsq́;, æque ijs qui Drepanum miſſi fuerant, & ijs qui in caſtris uerſabantur, optimè fuit conſultum. Sub idem ferè tempus nauis, quæ magnam ſulphurei pulueris, pilarumq́; uim, quæ Meſſana aduecta fuerat, ac milites ad trecentorum numerum

ferebat, quos Prorex ex Sicilia abiens ex arcium præsidijs subtrahi mandarat, ad Aphrodisij littus appulerat: Vegamq́; & reliquos duces lætitia affecerat. eæ quoq; naues longæ, quæ præmissæ ad Gulettam fuerant, cum tormentis æneis, & rebus ad illorum usum necessarijs rediere. Abundabant igitur nostri rebus omnibus, quibus multum hostibus officere; seq́; sustentare, & alere facilè possent: & Numidæ de pecoribus, auibusq́; ad uescendum nostris benignè accommodabant: nostri autem illis, quòd magna annonæ caritas in ea regione erat, frumentum, sed paulatim præbebant: eosq́; in amicitia retinere summa ope nitebantur: Et re uera ita se iam inde ab initio gerebant, ut eos Numidas, quibus familiaritatem cum Turcis intercedere compertum habebant, ab omni prorsus iniuria, negotioq́; nostris facessendo deterrerent. Illis propè diebus Azenus legitimus Tunetis rex,

quem à filio orbatum luminibus, regnóq; expulsum docuimus, qui eo animo in Africam traiecerat, ut Cæsaris opibus filij impietatem ulcisceretur; regnumq; amissum recuperaret, seu animi ægritudine, cui se dedebat, cum uideret, eius urbis expugnationem, quã breui futuram crediderat, proferri, ac præter opinionem accidere: seu belli incommodis; siue potius, quòd ita fato comparatum erat, in grauissimum incidit morbum: nam ità æstu, febríq; iactabatur, ut qui auxilio, opéq; medica leuari debebat, grauius, uehementiusq; afflictaretur. Quare facilè apparebat, illum breui diem suum obiturum. Cum ipse quoq; uideret, sibi mortem instare, ad arbitros conuersus dixisse fertur: lætus certè ex hac uita migro; primum, quòd mihi in regno meo, & patrio solo mori datum est: deinde quòd uideo anteq; moriar, infideles populos regis sui desertores hostibus suis pœnas

dare. Vox quidem barbaro rege digna, qui ut nullam bene uiuendi; sic ne moriendi quidem rationem habuit: & non multo post miseram, atq; ultionis cupidam egit animam nō Astrologorum prædictionibus deceptus; quos illum in Africa moriturum prædixisse cognitum est. Bucarus eius filius moribus, & pietate nequaq; Barbarus patris corpus arca statim condendum, Curubimq;, ubi perpulchra Mahometis ædes est, & eo nomine sacrosancta apud Barbaros ea urbs habetur, Regesq; Africæ, & clari totius regionis uiri illic sepeliuntur, per Numidas, ut ibi honorificè sepulturæ daretur, efferendum curauit.

HORATII NVCVLAE INTERAMNATIS COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI.

LIBER TERTIVS.

MAHOMetes Botaybi filius, & Cidiarphei Nepos Curubis præclaræ eius urbis Rex erat, ut illius prouinciæ opes sunt, ualde potens, qui non æquo animo ferens, Turcas maritima Africæ loca, munitaq; oppida & occupare, & firmis præsidijs tenere: iam inde à principio cupiebat, occasionem dari, qua Turcæ ex Africa exigerentur: & sciens Cæsaris Caroli potentiam pari coniunctam iustitia, qua in omneis uteretur, in eos præcipue, qui se illi

in fidem, & clientelam darent, in primis cu piebat, socia illi arma iungere, atq; cum eo fœdus ferire: ex eo enim in spem ueniebat, breui se eius rei, quam maximè cupiebat, compotem fore: nam si munitæ Africæ urbes, quæ in maritimis locis sitæ sunt, erant ab exteris ditione tenendæ, eas à iusto Imperatore, quàm ab impijs prædonibus teneri malebat. Sed quanquam eo animo iampridem erat, nunquam tamen conficere illud studuerat. Cum Vega igitur, & Auria in Libyā Aphrodisij expugnandi gratia traiecissent, illi quamprimùm scribendum esse censuerunt: ut uel eum ad permanendum in sententia ijs literis incitarent, uel saltem non suis rationibus, cœptisq; aduersantem haberent. earum literarum sententia talis fuit.

Cum proximè huc eo animo traiecerimus, ut Aphrodisium Vrbem è piratarum nobis, nobisq; infestorum manibus extorqueamus,

ob rerum, uirtutumq́; tuarum famam, quæ præclara ubiq; est: nobis faciendum existimauimus, ut has ad amplitudinem tuam daremus literas; ijsq́; tibi tantummodo declararemus, nos eam in te uoluntatem contulisse, ut quicquid iuste, pieq́; tua causa facere possumus, libentissime totum ad te deferamus. cætera quæ te scire oportere censuimus, ex Mahomete Benceieno Scyriffo cognosces: qui tibi omnia explanabit; eiq́; fidem habeas, & cum ad nos remittes, omnibus de rebus, quas nobiscum communicandas, agendasq́; censueris, ei mandata des uolumus. uale ex castris ad Aphrodisium quarto nonas Quintileis.

Hic Benceienus Scyriffus, quem ad Curubis regem à nostris missum commemorauimus, puer quondam in Tripolis expugnatione captus Hugoni Moncadæ Hispano Siciliæ tunc Proregi seruiuit, à quo & in Christianorum numerum adscriptus, & libertate donatus

fuit. Sed cum postea uxorem duxisset afram genere post quartum, & uigesimum annum, ex quo Christianam religionem professus fuerat, nescio quo malo dæmone instigatus, illa relicta, iterum ad Mahometis sectam reuersus est; & ab Azeno Tunetis rege ob eam causam multis beneficijs affectus, ipsiq; cum florentissimæ ipsius res essent, in primis charus. Postquam autem is spoliatus regno, orbatusq; luminibus à filio Hamida fuit, tantam impietatem hic detestatus, ut, si fieri posset, aliquando ulcisceretur, illius aduersarios sibi conciliauit, illisq; obnixe placere studuit. Itaq; diu apud arcis Gulettæ præfectos uixit, summoq; studio; ac fidelitate res Cæsaris adiuuit. Hic cum Ludouicus Peresius illius arcis Præfectus in castra uenisset, ut pro parte sua Cæsaris regis sui opes, ditionemq; unà cum Vega, cæterisq; ducibus augeret, cum eo illuc profectus est: & eo interprete, atq;

internuntio ob multarum linguarum peritiam Vega, Auriaq́; usi sunt; eiusq́; opera summa cum fide, & diligentia præstita, ità hoc in bello enituit, ut omnium animos sibi conciliarit, Scyriffi nomine maxime gaudet, quòd omneis, qui uel à Mahomete, quos inter se refert, uel à regibus originem trahunt, sic in Africa appellari ferunt. Huic Scyriffo illud præterea mandatum fuit, ut pro egregia in Cæsarem uoluntate, & præstitis antehac officijs, magnas ipsi regi gratias ageret; quamq; illi grata semper accidissent, quæ in ipsum constiterant, exponeret: etiam diligẽter cum eo ageret, ut quoniam aduersus immanes tantùm Scythas priuatim ipsi, totiq; Africæ infestos hostes eò Cæsaris exercitus traiectus fuerat, eodem esse animo, atq; in eadem sententia, quod maximè decebat, permanere uellet. Præsertim quòd nemo erat, qui nesciret, Cæsarem ità gratum esse, ut

de cunctis benemeretur; quosq; sui studiosos nouisset, beneficijs quàmplurimis remuneraret: id quod poterat ex maximis illius in Azenum Tunetis regem meritis cognoscere: quē in suum regnum Hariadeno inde tyranno ui exacto, restituit: deinde iterum ab Hamida filio fœdè eiectum, omniq; auxilio destitutum non modo in sua regna excepit, sed prolixe, ac magnifice illi ad regio apparatu, cultuq; uiuendum necessaria suppeditauit, atq; ità de eo usquequaq; meritus fuit, ut nihil is præter orbitatem sentiret; atq; ingenuè fateretur, optimè secum actum esse, quòd in eius se principis fidem dedisset, qui & facere, & sustentare reges posset. Ad ea Curubis rex uera esse: quæ per Vegam, Auriamq; scripta fuerant, respondit, seq; illud, & alia exempla quàmplurima non ignorare, quibus magnitudo animi, bonitas ingenij, & prolixa, beneficaq; Cæsaris natura in optimum

quemq; præſertim in eius ipſius ſtudioſos iam pridem perſpiceretur, seq; paratum usquequaque eſſe, in rebus omnibus, quas ad illius utilitatem, decusq; pertinere, uel ipſe per ſe animaduerteret, uel ab ipſis admoneretur, egregiam, quam in ipsum contulerat, uoluntatem declarare; req; ipsa quanti illum faceret, eiusq; imperium auctum uellet, oſtendere. Cupere tamen ab eo tantum in se conferri beneficium, ut aduerſus Hamidam Tunetis regem, acerrimum ſibi hoſtem auxilium præſtaret, oppidaq; Monaſterium, Siagulemq; tandiu ditioni ſuæ ſubiecta uellet, dum tyrannus ille iis potiri, ut ſuis, contenderet. Etiam ſi illo è regno per Cæsarem exacto, alter, cuius ſe amicum fore pollicebatur in eo imperio conſtitueretur, id ea conditione fieret, ut dum uita ipse frueretur, eorum oppidorum poſſeſſione nequaquam careret. Quæ quidem ſi Vega, Auriaq; concedere inducerēt

animum, cupere ea conuentorum, & pactionum formula fœdus inter se ferire. Conuenit igitur inter eos, ut illud ijs conditionibus iceretur, seq; uicissim stipulatione alligarent. Sed cum ille rei instare desißet, ut uideret prius, quis euentus, finisq; rerum esset, & nostri, ne cupidè uelle cum eo amicitiam iungere uiderentur, rem dedita opera intermisißent; dilatum tandiu negotium fuit, dum Dragutes, qui magna manu nostros opprimendi causa uenerat, à nostris non parua cæde fusus; & profligatus fuit. Quod quidem, cum extemplo postea rex misißet, qui illi instaret, atq; urgeret, ex sententia confectum est: Proptereaquòd duces è re Cæsaris eße perspiciebant, si ille rebus nostris non aduersaretur. Quamobrem Vega ipse, & Auria ex fœdere Monasterium, Siagulemq; eius imperio subiecere, & ipse pactis, conuentisq; stetit; & quæ pollicitus fuerat, dum exercitus

noster in ea prouincia uersatus est, bona fide præstitit. Sed ut ad rem, unde degressi sumus, reuertamur; cum animaduerterent nostri, nihil iam earum rerum deesse, quibus tormenta instrui, machinæ ædificari, & Cuniculi agi, cæteraq́; quibus ad oppugnandam urbem opus esse arbitrabantur, apparari possent, non cunctandum rati omnia quàm primum inchoari, informariq́;, ut mature confici possent, imperarunt. Sed quoniam primum omnium, uallum, fossamq́; produci, & nouos aggeres iaci uolebant; ut tutius nostri ad urbem accederent, & facultas consistendi in muris, hostibus eriperetur; uidebat Vega ad eam rem perficiendam, uallos, uiminaq́; deesse: quæ cum è proximis locis oleis consitis petenda essent, ipse illò proficisci statuit: cum quòd audierat, non eo ordine, quo decuisset, superioribus diebus illuc à nostris, qui ob eandem causam missi fuerant,

uentum eße: & eò nonnullos Afros consanguinitate ijs, qui Aphrodisij obsidebantur, coniunctos partem nostrorum palantium aggreßos esse, & ex ijs alios uulneraße, alios autem morte affecisse, & Aluarum filium illorum Ducem animi ferocia hostes cupidius quã deceret, insecutum penè circum uentum ab ijs fuiße; tum ut ipse loci naturam, situmq́; exploraret: proptereaquòd putabat, aliquam externam uim aut ab ipso Dragute, aut à Tunetis tyranno, cæterisq́; regibus, Africanisq́; populis, quibus penè nullam habebat fidem, oriri poße: ut si quando id usu ueniret, non esset eorum locorum, quos insidijs collocandis aptissimos audierat, imperitus. Sed antequàm è castris abiret, prudenter instituit, cauitq́;, ut illorum munitiones diligenter seruarentur. ut si forte hostes eruptionem ex oppido facerent, quòd nostros inde deductos esse, uel indiligentius seruare arbi=

trarentur, haud imparatos offenderent: & inde facilè, ac non ſine cæde in oppidum reijcerentur. Itaq; octauo calendas ſextileis, qui dies in diui Iacobi honorem à Chriſtiana republica celebratur, facta prius re diuina, curatisq́; corporibus, paulo ante meridiem milites circiter ſeptingentos, quos ex omni numero delegerat, ac ſub tria ſigna conuenire iußerat, educit: & in hunc modum inſtruit. milites, qui ad duo ſigna conſtiterant, qui omnes archibusijs utebantur, græcorum centuriam, & nonnullos ex ijs qui, militiæ ſacramento non tenebantur, præibant. quos ſine armis proficisci Vega iuſſerat, ut cæſa ligna, uirgarumq́; faſces in caſtra referrent. his adiungebantur, qui ligna cæſuri erant; quos calones, & lixæ inſequebantur: ut ipſi quoq;, quæ militum uſui fore putarent, ſumere inde poßent. Tertia igitur delectorum militum pars ſub uno uexillo agmen claudebat.

Acie ſic inſtructa Vega oliuetum uerſus pro=ficiſci cœpit. ab eo non longè aberat, cum Afer quo exploratore noſtri utebantur, Lu=douico Pereſio, qui unà cum Vega in agmine proficiſcebatur, nuntiat, magnam hoſtium multitudinem aduentare; ac penè ea ipſa lo=ca, quæ petebantur, obtinere. Quod poſtea quàm compertum fuit; & ſi erant nonnulli, qui non ulterius progrediendum, & certa=men omnino detrectandum putabant: propte reaquòd maior erat hoſtium numerus, quàm ut noſtri cum iys ſine magna iactura congredi poſſent: Vega tamen ad locum ipſum perue=niendum; & inde quod ad caſtrorum uſum expetebatur, ſumendum: & prælio, ſi ne=ceſſitas cogeret, cum hoſtibus decertandum cenſebat; præter enim ingens dedecus, quod admiſſurum ſe uidebat, ſi noſtros non progre di iuberet; animaduertebat inſuper, cum iam propè in conſpectu hoſtium eſſent, euitari

prælium

prælium haud quaquam posse: nam si terga hostibus uerterent, & se iam metu perculsos esse demonstrarent, non uidebatur dubium, quin maiores illi spiritus caperent, & alacriores ad insequendum fierent. quod secus futurum cernebat, si cœptum iter persequerētur, & nulla timoris significatione facta, quibus negotium datum erat, ligna cæderent, cæteri milites instructi in armis essent. Quocirca instructum agmen procedere, & ad ulteriorem oliueti partem, quæ iam prope erat, contendere iussit: ubi satis idoneum pro tempore delegit locum, cui à tergo oliuetum relinquebatur, & à fronte magna planities aderat. Vix eo ipso loco nostri constiterant, & quibus cura mandata erat, lignari cœperant, cum repente à leua parte è colle edito, sed decliui magna Turcarum, & Afrorum uis, quæ omnium qui aderant iudicio, duum millium, & quingentorum numerum

excedebat, descendere cœpit. à dextra quoq; ad equites centum quinquaginta, cum non exigua peditum multitudine apparere cœperunt. In utroque agmine pleriq; hostium sclopettarij, & sagittarij erant, parati, & instructi ueniebant, ut cumprimum per loci spatium ipsis liceret, nostros aggrederentur. Quod postquàm Vega animaduertit, archibusiarios, quos in prima acie locauerat, cohortatus fuit, ut memores gloriæ hispanæ gentis, quam in omnibus bellis antehac gestis semper adepta fuerat, uellent Turcis, Afrisq; ostendere, se illis multo potiores: & ipsorum paucitatem illorum multitudini non modò fortiter resistere, sed eam etiam fundere, & fugare facilè posse: putarentq; Deum, qui seruandorum hominum causa humanam induerat naturam, uitæq; ærumnas, & labores, mortem denique turpissimam perpessus fuerat illis iure optimo infensum esse: ipsis uerò, qui

pro illius religione augenda, christianissimiq; Cæsaris regis sui imperio propagando in Africam traiecerint, ac militiæ labores, & pericula æquo animo perferant, maximè propitium; & eò spem haud dubiam accipe-rent, illius numine certè futurum, ut nullum ipsorum impetum hostes laturi, sed fugam euestigio facturi omnes essent. Monuit insu-per illos diuum Iacobum Hispanorum patro-num in ea pugna sibi affuturum, opportu-numq; auxilium aduersus eos hostes laturum esse: ut aliàs sæpenumero in Hispania, & illi adesse prouinciæ, ac pro ea à Maurorum dominatu liberanda præliari uisum, ipsorum maiores testati fuerant; præsertim cum is dies ad tanti Diui honorem celebrandum om-nibus christiani nominis uiris, Hispanis præ-cipue festus, & solemnis esset. Christo igi-tur duce, inquit, diuoq; Iacobo adiutore mi-lites irruenteis hostes repellite, iniuriamq;

alacres propulsate. Iam illi in æquum locum descenderant, & sclopetta displodere, & sagittas in nostros conijcere cœperant; cum milites nostri ipsi fortes per se, & tanti ducis adhortationibus, ac præsentia fortiores facti, contra nitebantur; & non hostium impetum modò sustinuerunt, sed magna illos cæde, multisq; illatis uulneribus repulerunt. A dextro quoque cornu, cui Ludouicus Peresius præerat, hostes non paruo accepto detrimento ab impetu nostrorum reiecti, pedem retulerunt. Quanquam principio nostrorum paucitas tanta hostium multitudine sic ibi premi cæpta, ut tametsi fortissimè omnes præliabantur, loco tamen ab ijs pellerentur, Palombaremq; Ferdinandi Lupi signiferum cum septem alijs fortissimis uiris amitterent. Quod cum Vegæ renuntiatum fuisset, ueritus ipse ne circumuenti milites nostri internicioni darentur, cum ea armatorum manu, quam semper custodiæ

causa apud se habebat, incredibili celeritate illò peruenit: ubi & si hostes acriter instare uelut certa iam, atque explorata uictoria animaduertit, suo tamen peropportuno illuc aduentu uehementer laborantes nostri milites sic recreati sunt, ut qui modò hostium impetum non sustinuerant, se Ducis præsentia quàm primum colligerent, ac redintegratis animis haud difficilè uim reprimerent: etenim Vega ipse in prima acie uersari, strenuamq; non adhortando solùm, sed etiam pugnando operam nauare, & illius exemplo milites acriter repugnare, locum uirtute parare, partum tueri, & collectis denique uiribus, nouoq; facto in urgenteis adhuc, incumbenteisq; hostes impetu pedem referre cogere. Hos Ludouicus Peresius magna archibusiariorium manu contra Vegæ uoluntatem insequitur: qui cum sat haberet, paucos nostros ab hostium multitudine non superari, miserat, cum

in sinistrum cornu se referret, qui illum, ne ulterius progrederetur, moneret: sed cũ ille uidere uideretur ex eo loco, in quem æquo transibat, posse melius hostes ferire, atque eos in effusam fugam conijcere, monitis non paruit, sed ipsis hostibus confestim eius rei pœnas dedit: etenim sclopetti ictu præceps ex equo cecidit, magnoq́; omnium militum, ducumq́;, Vegæ inprimis qui tantum, tamq́; strenuum uirum, & sua, & Cæsaris causa diligebat, mœrore interijt. Vt hostes illum mortuum animaduertunt, confestim redeunt, eiusq́; corpus circumuenire, atque in suam potestatem redigere summopere conantur. Sed Francisci Amatoris præfecti militum interuentu, illud seruatum: & multi hostium uulnerati, nonnulli interempti sunt, reliqui se fugæ mandarunt. Acriter utrinque pugnatum, sed uictoria penes nostros fuit. ex quibus non amplius uigintiquinque perijsse, & paucos uul-

neratos fuisse compertum est. ex hostibus uerò multo plures cecidisse, uulneraq́; accepisse renuntiatum fuit. ex quo facilè dignosci potuit, quanta nostrorum militum uirtus fuisset, cum mira ipsorum paucitas tantæ hostium multitudini non restitisset solùm, sed uulnera etiam, cœdemq́; inflixisset: uel potius immensa Dei bonitas, clæmentiaq́; in eo prælio enituit, qui nostris, qui pauci erant, animum, uiresq́; suggessit, hostibus uerò, qui innumeri ad nostros erant, prorsus ademit, Proregemq́; Vegam non modò suos uerbis adhortantem, sed etiam pugnantem, & omnia, ut nostri superiores essènt, diligentissimè prouidentem seruauit incolumem. Hic iam inde ab initio cum nostrorum paucitatem, & hostium multitudinem perspexisset, misit in castra, qui Garsiæ diceret, ut cum parte copiarum subsidio illuc ueniret, ut si forte opus foret, integri fessis succederent,

ac prælium integrarent. Venit igitur, cum nostri se reciperent, uirgarumq́; fasces, & ligna interea dum pugnatum fuit per otium ferè cæsa in castra referrent: eiusq́; aduentu factum est, ut hostes, qui se à fuga iam receperant, nouissimumq́; nostrorum agmen consequebantur; ab insequendo retardarentur. Itaque nostri magna lignorum ac uirgultorum ui, quanta opus fore crediderant, se in castra recepere. hostes tamen longè nostros secuti, ad scorpionis emissionem à castris post quosdam humiles hortorum parietes, uirgultaq́; consederunt: inde sagittas in nostros corneis arcubus emittebant, sclopettaq́; displodebant: ac nostrorum munitiones unà speculabantur. Quod cum Vega non in rem esse existimaret, Aluaro filio tribuno militum adolescenti strenuo mandauit, ut cum ualida archibusiariorium manu, delectaq́; iuuentute illuc aduolaret, & inde, quòd incompositos uidebat, con

festim deijceret : quod quidem strenuè factum fuit : nam cum illuc instructo agmine, & quo decuit ordine profectus esset, primo impetu fusi hostes, atq; in fugam coniecti, tela alij abijciebant, alij uestes sanguine tinctas relinquebant : qua ex re, atque ex certis nostrorum ictibus, cognitum fuit, non paruum ibi quoq; detrimentum hostes fecisse. Post Garsiæ è castris discessum, qui à Vega, ut diximus, accersitus fuerat; ut si forte opus foret, subsidio nostris esse posset; qui Aphrodisij obsidebantur, opportunum tempus rati inuadendi castra cum maiore præsidij parte repente ex oppido eruptionem faciunt, uallumq;, & munitiones nostras aggrediuntur. Sed qui castrorum præsidio relicti fuerant, ita Vegæ instituto excubabant, paratiq; in armis erant, ut non modò inde hostes facta testudine reijcerent; sed etiam præsenti animo eruptione è castris facta, illos in fugam con-

iectos ad oppidum usque persequerentur: & partem illorum sub ipso pomœrio trucidarent, partem proijcere se in mare cogerent, multis periculosa uulnera infligerent. Idq; eo facilius fieri potuit, quòd Garsia cum illa parte copiarum, qua subsidio nostris profectus fuerat, properè à Vega remissus, cum ab insequendo hostes retardati fuissent, in castra iam redierat, animumq; pro castris prælian tibus nostris facilè addiderat; hostibus uerò incredibilem terrorem iniecerat. Ex ea re coniectatum fuit, antea inter hostes conuenisse, ut eo die hinc, & illinc nostros inuaderent; & undique circunuentos pro iure suo cæderent, seq; obsidione, & bello liberarent. sed quoniam aliter, ac ipsi opinati fuerant, euenit, quòd in lato campo multi à paucis deuicti; & qui ad castra inuadenda aduolarant, reiecti tam facilè in urbem fuissent; & si per exploratores Vegæ nuntiabatur ex-

ternos hostes oppugnandi nostra castra consilium iniuisse; atq; illud in uulgus iactasse: in animum tamen illud inducere non poterat: quanquam nihil quod ab hoste diceretur, ita contemnendum putabat, ut fieri non posse existimaret: & propterea se ad omnia, quæ impendere ab hoste possent, præparabat. Nondum Vega compertum habebat, se eo die cum Dragute ad manus uenisse: quanquam coniectura assequebatur, neminem alium esse potuisse; cum quòd nullus hostium postridie in ijs locis apparuit, tum quòd magna turcarum manus, quam non nisi Dragutes ipse adducere potuerat, eo die cum nostris pugnauit: &, quod rei caput est, fando dici audierat, illum ad Taphræ portum sua nauigia reliquisse, atq; in terram descendisse: ut proximos adiret populos, ac sub communis religionis prætextu magnum Afrorum numerum cogeret; secumq; ad opem, auxiliumq; Aphro

disio ferendum duceret: nec erat cogitandum, qui contra nostros armati congressi fuerant, Numidas illos fuisse: proptereaq; pauci inter illos equites, & magna sclopettariorum, & sagittariorium uis erat, quibus armis Numidæ non utuntur, & multis ante diebus propter summam rerum inopiam, quã in ijs esse regionibus uiderant, ferè omnes ad fertiliora Africæ loca more suo discesserant. Ex multis rebus, quæ prosperè eo die nostris acciderunt, facilè intelligi potuit, Dei opt. Max. auxilio illos seruatos, sed ea potissimum, quòd multi è principibus uiris sclopettis hostium icti fuere, nihilq; inde detrimenti accepere: quos inter fuere, Aluarus ipsius Vegæ filius, cui amictus tantum ex aluta confectus, quem post lineum thoracem induerat, à sinistro latere glande percussus, ac crematus fuit, à periculoso ictu immunis mansit: Ioannes Osorius, qui unà cum equo, quo ue-

hebatur, petitus fuit, & neuter uulneratus: Alfonsus Pimentellus, qui sub mento secun= dum iugulum uulnus, quod acu punctum ui= debatur, accepit: & Ferdinandus Lupus, cuius pectori infixus ictus, thoracem lineum quo muniebatur, non transfixit. at non parua quidem iactura fuit, quæ in Ludouici Peresij casu, & strenuorum militum, qui fortiter aduersus hostes pugnando mortem occubuere, facta est. Sed ea re præcipue im mortalis Deus nostrorum militum saluti eo die consuluit, quòd Ioannem Vegam illò pro= ficisci uoluit, cuius non prudentia solùm, sed rei etiam militaris scientia, & uirtute cum felicitate coniuncta factum est, ut nostri ui= ctoria potirentur. Cum ipse milites in castra reduceret, strictumq; gladium manu ferret, sibi casu pedem sauciauit, sed ita leuiter, ut nullo negotio pedibus iret, & equo saltem uectus, eorum quæ prouidenda erant, nihil

prætermitteret. Ex literis maximi natu Cu rubis regis, quas ad Mahometem Benceienum Scyriffum secundo post prælium die in castra miserat, cognitum fuit, copias illas, quæ fusæ à nostris fuerant, Dragutis fuisse: qui cum in terram descendisset, turcasq; circiter octingentos, quorum partes duæ sclopettis, tertia corneis arcubus in pugna utebantur, exposuisset, Tacapem, quæ urbs ab Aphrodisio centum et octoginta millia passuum distat, Taphram, aliaq; oppida supplex adiuit, auxiliumq; ab iys aduersus Christianos Aphrodisium oppugnanteis implorauit. præterea cum magnis itineribus eam urbem peteret, omneis, in quos inciderat, ad Christianos ex tota Libya exigendos hortabatur; secumq; ducere ad id ipsum nitebatur: facilè omnibus persuadens, si Christiani eo oppido potirentur, futurum esse, ut totam prouinciam subigerent, ac prouinciales om=

neis in duram seruitutem redigerent, & Mahometis leges, & sacras ædes uiolarent. Quare factum est, ut cum omnes Afri leuissimi sint, nouisq; rebus semper studeant, ad quatuor circiter millia hominum cogeret, & ad nostros inuadendos summa cum celeritate contenderet. Præfectus equitum Curubis regis, qui cum iis Siaguli erat, cum primùm per nuntios dispositos doctus fuit, illas copias aduentare, ex suis equitibus duos misit, à quibus exploraretur, quinam illi essent, & quò proficiscerentur. Hi cum ad oppidum Marnaben peruenissent, quod duodeuiginti millia passuum à nostris aberat, ibi certiores facti sunt, Dragutem cum illis copijs Aphrodisij subsidio proficisci. Turcæ quoq; cum de illorum aduentu cognouissent, misere, qui illos ad se perducerent: cumq; congressi essent, & Curubis regis equites esse didicissent, illos benignè exceperunt, ac tota illis castra osten-

dere conciliandi gratia non dubitarunt: & rogati ab iis ipsis equitibus, quò proficiscerentur, se ad lucrandum animas contendere, responderunt: illosq; ad idem faciendum uehementer hortati sunt. Ad quod illi, non nobis, inquiunt, absq; nostri regis potestate istud est integrum; nec per ullam conditionem licet. Tunc Dragutes se de ea re ad regem scripturum dixit: quanquam nihil præterea nuntiandum illi putabat, q; ut secum Aphrodisio subueniret, & ipsum oppidum, & quicquid in ea regione caperent, imperio illius se subiecturum polliceretur. Dimissi equites ad præfectum redeunt, atque illi rem, ut se haberet exponunt: qui statim regi rem omnẽ aperit, ut quicquid agendum censeret, quàmprimum constitueret. Sed ille, ut qui penè ancipitem gerebat animum, quà fortuna ipsa rem daret, eà inclinare uires penè consilium cœpit. Itaq; cum tempestiuè posset,

nec

nec nostris Dragutis aduentum nuntiauit, nec aut exercitu, aut alia re iuuit. Duo alij equites prælio cum nostris facto interfuere, & quòd Turcæ, & qui socia illis arma iunxerant, fusi, fugatiq; à nostris fuerant, retulere. Illud insuper addidere, Afros, qui cum Dragute uenerant, è Turcis quæsisse, quamobrem Christianos, ut se de ea re magnificè iactarant, non uicissent: & ad id Turcas respondisse, se nautas esse, & rerum naualium tantummodo peritos; strenuos autem, quos habuerant, in Sardinia amisisse. quibus de rebus regis filius per eosdem equites certior factus literas ad Scyriffum dederat; quibus nostros bono animo esse iubebat, cum diceret, ita Turcas re male gesta territos abyße, ut nihil quicquam posthac ab illis timendum esset. Pater quoq;, qui paulum hactenus animi pependerat, postquam prælium cum Turcis factum, & illius diei euen-

tum fama cognouit, continuò suæ arcis præfectum uirum quidem grauem ad Vegam, Auriamq; in castra misit; etiam Garsiæ gratulandi causa literas scripsit, ut quod inter eos antea conuenerat, ut scilicet in fidem cum suis reciperetur; Siagulemq;, & Monasterium ex fœdere ab ijs acciperet, perficeretur. Et quod petijt, assecutus est, cum Vega Auriaq; uiderent, illud non modò Cæsaris rebus non aduersari, sed magno illis usui potius fore. Nec ea spes illos frustrata est: propterea quòd non paruum equitatum assiduè postea Siaguli habuit, qui ad omnia, quæ imperabantur, nostro exercitui præstò fuit; & rebus necessarijs ipsum adiuuit: & tunc magnũ omnis generis pecorum, quibus uesci solemus, numerum misit: iussitq; omnibus, qui imperio suo parebant, idem efficere. Ad hæc finitimi populi certatim omnes pro se quisque commeatum, reliquasq; copias in castra per-

ferendas curarunt, & legatos ad amicitiam petendam miserunt: & ut in suis oppidis tuti Vegæ, Auriæq; fide, sine qua non uidebantur, esse possent. ex quibus rebus conijci planè potest, detrimentum Draguti illatum, maius, grauiusq; extitisse, quàm à principio existimatum fuerat: cum in castra ante eum diem post Numidarum profectionem nihil prorsus uenale adduxissent, & amici animi significationem penè nullam dedissent: Sed ijs omnibus Vega, Auriaq; benignè responderunt, atq; haud iniquo esse animo iusserunt: quòd non eo consilio in Africam traiecerant, ut illi obesse prouinciæ cogitarent: sed potius immanissimis inde exactis prædonibus, qui nō paruo ipsis oneri, nobisq; perniciosissimi assiduè erant, utrorumq; tranquillitati, ac saluti uno tempore consulerent; & ipsius Cæsaris auctoritati, atq; æxistimationi prospicerent.

Cum primum ad Vegæ, Auriæq; aures peruenit, Dragutem fuisse illum, quem nostri prælio deuicerant; in eam cogitationem uenerunt, ut crederent, classe quoq; illum spoliari posse, si quis aliquot longis nauibus ad eam partem, ubi illam reliquerat, cursum derigeret. Itaq; statim Antonio Auriæ ijs conditionibus cum decem instructis triremibus illum persequendi negotium dedere, ut si circum Africæ tractum non inueniret, Siciliam inde classe peteret, ac totam circumiret: quòd fortè dum Cæsaris classis in urbis Aphrodisij obsidione maneret, ille aliquam insulæ partem infestaret: & quam armatis militibus nostris in Africa non potuerat, fortasse inermibus, atq; aliqua parte imparatis Siculis iniuriam inferret. Præterea ut Syracusarum, Messanæ, Milarum, & Panormi arces inspiceret; ac quicquid sulphurei inesset pulueris ex omnibus sumeret, earumq; præfectis

quàmprimum iuberet, ut ad arcium munitionem, quod facilè fit, nouum conficerent. Adhæc cum uiderent, magnum militum numerum desiderari; quòd alij morbis belli laboribus, cœliq; grauitate contractis, perierant: alij uel in pugna ceciderant, uel ex ea sauciati discesserant: atq; urbis expugnationem tum situ, munitionibusq; ipsis; tum præsidij, oppidanorumq; non tam uirtute, quãquam magnam præseferrent, quàm obstinatione difficilem; inierunt consilium, noua conquirendi auxilia: nam tametsi multum in uirtute militum confidebant, ac sperabant, fieri posse, ut illorum paucitate urbs expugnaretur: tamen quoniam aliter accidere poterat, non sibi committendum esse putarunt, ut rem temere in extremum periculum, ac discrimen obijcerent. Itaq; Marco Centurioni negotium datum, ut cum decem triremibus Genuam, indè per equos dispositos ad Ferdi-

nandum Gonsagam mandato Cæsaris Galliã cisalpinam cum imperio obtinentem, Medio=lanum contenderet: eiq; tantùm significaret, in Cæsaris rem esse, ut partem exercitus Hispani generis, quem ad illius prouinciæ tutelam semper habet, transportandam in Africam quamprimum traderet: & quacunque alia re posset, Cæsaris exercitũ Aphrodisiũ Vrbem obsidentem iuuaret: Vega enim, Auriaq; compertum habebant, illum ea integri=tate uirum esse, ut quicquid ea de re fieri posset, continuò exequeretur: Quamobrem eidẽ Centurioni mandatum fuit, ut si fortè nihil inde sperari posset, quòd Ferdinandus puta=ret, non sine magno prouinciæ incommodo, ac periculo partem ex eo numero detrahi, cõfestim ad Cosmum Medicem Florentiæ Du=cem, clarissimum genere, & opibus uirum, rerumq; Cæsaris maximè studiosum, literas mitteret, quibus ipsi illud idem significaretur;

ut qua pietate erat in Cæsarem, partem Hispanorum militum ex arcium præsidijs subduceret, ac si fieri posset, etiam aliorum delectum ageret, & Liburnum eos conuenire, & cætera, quæ ad belli, & militum usum necessaria duceret, conuehi iuberet. Interim ipse Genuam repeteret, classemq́; inde Liburnum reduceret: impositisq́; in eam militibus, cæterisq́; comparatis rebus quamcitissimè posset, in Africam reuerteretur. Nec mora facta, diuersi Antonius Orientem, Marcus uerò Septentrionem uersus nauigare cœperunt. Interim in aggeribus iaciendis, tectisq́; Cuniculis agendis, & testudinibus, alijsq́; machinis conficiendis nullum à nostris tempus remissum: & Vega ipse non modò præsens semper aderat, operibusq́; instabat; uerum etiam, qua ratione conficienda cuncta essent, ipsis artificibus præscribebat: ipse quoq; cum magna omnium admiratione labo-

rabat; nec noctu, nec interdiu quiescebat, nec cibi, nec somni discriminata habebat tempora, sed quod gerendis rebus supererat, id quieti dabat; qua laborum, uigiliarumq; mira tolerantia fiebat, ut illius exemplo milites nullum laborem, aut discrimen recusarent, & illi ad omnia æquo animo præstò essent: eò præcipuè, quòd militum omniũ salutem summæ illi curæ esse perspiciebant: cum & ualidis nihil deesset; & ægrotis, & saucijs omnia abundè suppeditarentur. Dum in ijs operibus nostri occupati erant, & obsidio uerius quàm oppugnatio urbis esset, quanquam obsessi multos in ea eruptione (ut supra demonstrauimus) amiserant: non eò tamen abiecerant animum: nam, tametsi renuntiatum nostris fuerat, aqua iam illos carere, cum nunquam interim pluuißet, & cisternæ exhaustæ essent; & quæ ex agro per subterraneos ductus in urbẽ influebat, tubis à nostris,

dum terram aggeris causa effoderent, distur batis ablata erat, reliquasq; res ad uictum ne cessarias excepto pauco hordeo, & oriza, illis deesse: tamen & aqua, & commeatu, et rebus omnibus abundabant; & si minus ter ra successerat, mari sibi subsidium breui per Dragutem missum iri sperabant. hoc Vega, & Auria ex transfugis cognorant; & ne, si uerum id esset, illis ex sententia succederet, dispositis idoneis locis custodiæ causa triremi bus, uigilabant. Illi interim, quod in muris quassatum, aut deiectum erat, reficiebant, urbemq; in dies, latiore ducta fossa, cæterisq; munitionibus auctis munitiorem reddebant, alacriterq; omnes laborabant, seq; mutuo po tius ad extrema omnia non famem modò, sie timq;, sed etiam mortem ipsam, quam hone stissimam existimabant, tolerandam, quàm urbe hostibus cedendum cum cohortabantur, tum confirmabant: ut si uincere cũ honesta

te non possent (si forte subsidio non ueniretur) nullam prorsus salutem cum turpitudine quærerent. Cum omnes igitur hanc stabilē, firmamq; haberent sententiam, in eandem deducere oppidanos magnificis uerbis, & pollicitationibus nitebantur: cum ostenderent, ualidum à Dragute comparatum cum omni rerum copia subsidium propediem à mari illuc uenturum: quo non modò hostibus resistere, eosq; à mœnibus summouere; uerum etiam in illorum opera, & stationes erumpere, castraq; ipsa expugnare, omneis deniq; delere facilè possent. Huc accedebat meritorum magnitudo, quæ in ipsos à Dragute ob fidem in tanto discrimine seruatam profectura dicebant: quòd si nihil aliud spectare uelint, debere tamen communis religionis, diuiniq; cultus rationem habere, quem, si se Christianis dederent, quamprimum labefactari uiderent: pro quo tuendo, atq; amplifi-

cando nemo non mortem oppetere deberet. his adhortationibus incitati oppidani commu=nem cum ijs fortunam ſuſtinere conabantur: & concordiſſimi omnes in defendenda ab ho=ſtibus urbe excubabant: & Mahometanæ ſectæ tuendæ cauſa mortem obire, urbis ex=cidium, atq; omnia extrema, ſi neceſſitas co=geret, ferre malle; quàm Chriſtianis dedi=tionem facere. Delecta igitur iuuentus in ma=gna ſupra portam turri cum sclopettis ad illius tutelam, & urbis cuſtodiam poſita, ita in perniciem noſtrorum militum docta, atq; in=tenta erat, ut, cum nemo ne digitum quidem temerè apertum à repentino hoſtium ictu im=munem haberet, & res ipsa aliquando non=nullos ultro, citróq; apertos currere poſtula=ret, quoscunq; animaduertere contingebat, aut è medio tolleret, aut grauiter uulnera=ret: quos inter, præter complures noſtrorum militum, celeberrimus ædificiorum, et operum

Cæsaris architectus, & machinator optimus Ferramolinus nomine, genere Italus, Bergomi natus, cum tectum cuniculum peragi curaret; glandis ictu illi in caput secundũ frontẽ inflicto non paruo Vegæ, & reliquorũ ducũ, mœrore interijt: quanq; haberẽt Hispani generis alios, & ædificiorum, & machinarum peritos, & mirum profectò erat, ut barbari aliquando incautos milites nostros decipiebant: etenim cum illos sibi cauere, dum penè neminem uidebant, suspicarentur; simulato inter se strepitu nonnulli in muro se ostendebant, reliqui instructis cum Sclopettis qui intenti erant, utprimùm nostros eo motu excitos, allectosq;, atq; alios ad extantes in muro barbaros cernendum euocantes perspiciebant, prius ferè quàm oculos miseri sustulissent, certis ictibus prosternebãt. Neq; id ducum accidebat incuria, aut negligentia: qui edixerant, capitale illi fore, si-

quis absq; imperio assignatum locum relinqueret, seq; manifesto periculo, quod ab hoste impendebat, temere obijceret, sed potius animi impotentia, qua pleriq; mortalium, ad interdictam, & ante oculos positam perniciem appetitione nimia inflammamur, & præcipites trahimur. Attamen proposita utrinq;, & à ducibus, & ab hoste pœna cautiores posthac nostri fuere, & ad præscriptum facere omnia studuere: & ne impune barbari illud ferrent, operibus ad illorum exitium institutis maturè perficiendis omnem diligentiā adhibuere. Inter cætera quæ ad oppugnandam summa ui urbem à nostris præparabantur, initum fuit consilium in mari à parte orientis commoliendi machinam: cuius conficiendæ (ut causa pateat) est, quòd rem paulo altius repetamus. Cum Ioannes Vega animaduerteret, quàm magno negotio, ac difficultate mœnia à terræ parte concuterentur.

(ea enim latitudine, ac structura, ut dixi=mus firmata erant, ut penè innumerabilibus torme torum ictibus uix exigua eorum pars deijci posset) cogitare cœpit, an à parte ma ris, quæ in orientem uergit, aliquid moliri posßent, quò facilius mœnia, quæ minus ua=lida eßе cognouerant, subuerterentur: sed quoniam loca penè omnia urbi proxima uado sa erant, nec per ea triremibus, aut alijs na uibus ita illi appropinquare licebat, ut com=modè murus ex ijs feriri posset, facto enim eius rei periculo omnes ferè pilæ tormentis æneis in murum directæ urbem transuolabant, tri=remesq; ipsæ uehementer atterebantur; nam duæ ex ijs una Garsiæ, altera Cicalæ non mediocrem iacturam fecerant, non uidebat, quomodo eius rei compos fieret. Quamobrem modò in eam cogitationem ueniebat, ut pu=taret aliquam eorum uadorum partem ma=gna saxorum, terræ, materiæq; ligneæ in=

iecta ui obstruendam esse; atq; ità exaggerandam, ut mare inde excluderetur: ibiq; commodius tormenta ænea collocarentur: modò inibant consilium alicuius machinæ in modum pontis supra firmissima tigna ad aquæ altitudinem dimensa, ac defixa construendæ. Sed cum nihil inter duces constitueretur (etenim quid optimum factu esset non discernebatur) Garsia cui celeres sunt, & animi, & ingenij motus, atq; ad excogitandum acuti; quiq; ad labores, & ad uigilias natus esse uidetur, cum classis suæ nautis, & gubernatoribus continuò rem cõmunicauit, eáq; cum ijs diligenter expensa, cum inter eos conuenisset, qua ratione, quod quærebatur fieri posset, etenim illis in mentem uenit illius machinæ, quæ in pulcherrimo Meßanæ portu ludicræ naualis pugnæ spectandæ causa eius instituto constructa fuerat, atq; in ea conuiuium magnificè, splendidéq; ornatum, & à

principibus eius urbis uiris, primarijsq; fœminis concelebratum, ipse de conficienda supra duas triremes machina, ad ducum consilium retulit: quam tametsi Auria, & reliqui ferè omnes rem haud factu facilem, & prorsus incertam existimarunt: Vega tamen ab ijs dissentiens, inuentum ut optimum, ac pulcherrimum comprobauit: & ut maturè perficeretur, operam dedit: nam quæ ad instituẽdam, conficiendamq; eam machinam expetebantur, necessariaq; uisa sunt, quamprimum conquiri, atq; expediri iussit: & Garsiam ad excogitatum opus peragendum calfecit. Institutæ autem machinæ eam fuisse rationẽ comperimus. Triremes duæ demptis armamentis, magnis, ualidisq; duabus trabibus cõiungebantur: quas inter, quantum utriusq; iunctura distabat, duo magna nauigia immittebantur: ut cum illa coniuncta operi firmius illud redderent; tum etiam, ne tormen-

torum

torum impetu altius, quàm usus posceret, in aquam descenderet, sustentarent: & ob eandem causam quamplurima undiq; dolia firmis funibus machinæ connectebantur: quæ cum essent inania, leuitate sua illam sustinerent, nec ulla ui mergi sinerent. Hæc *materia iniecta contexebatur; ac magnis tignis, tabulisq́; constrata, magnæ, ac stabilis plateæ formam, unde illi uulgò nomen inditum non ab re existimamus, in summo præbebat. In ea decem maxima tormenta disponebantur, munimentumq́; ijs à fronte pedum duodeuiginti in altitudinem: duodecim uerò in latitudinem ex nauium uelis, rudentibus, & tritis linteis constructum est; ut eo ab hostiũ tormentis tuta, liberius illis calamitatem infligerent. in sinistro machinæ latere, quod urbis partem spectabat, aliud munimentum non ita altum, sed totidem latum pedes ædificatum, atq; in utroq; locis æquè distantibus al-*

terna ſpatia pro tormentorum magnitudine, modóq; , pluteis tamen ſuper impoſitis, relicta erant, per quæ liberè tormenta diſploderentur, ſuisq; exploſionibus hoſtium mœnia diſturbarent. Dum noſtri in ea fabricanda machina, reliquisq; inchoatis operibus abſoluendis noctu, interdiuq; laborant, ut ad Antonij Auriæ, & Marci Centurionis reditum omni ui barbaros aggrederentur, Chriſtiani nominis octo numero, qui Dragutis captiui fuerant, ac remis addicti, fractis catenis ſpeculatoria nauicula ex Lotophagiti pridie nonas ſextileis aufugerant, curſumq; ad noſtra caſtra direxerāt, quo ad octauū idus perueneré. Erat inter eos uir nomine Manuel Genuæ ortus: qui in Cicalæ triremi ab ipſo Dragute cum illius filio ſuperioribus menſibus capta, ratiocinator fuerat, uir quidem & boni ingenij, & iudicij, qui quod antea & coniectatum primò, & renuntiatum poſtea

de Dragute fuerat, confirmauit: is enim Vegæ, Auriæq; narrauit, Dragutem ex Meninge ad decimum tertium Cal. sext. cum septem biremibus, & quatuor cælocibus, quibus mille & ducentos partim Turcas, partimq; Afros ad pugnandum omneis idoneos, imposuerat, abijsse eo nimirum consilio, atq; animo, ut Aphrodisio succurreret, & opportunam opem ferret: postero die Taphræ portum tenuiße; atq; ex eo oppido, & antea Tacapis, & alijs finitimis ad duo millia Afrorum præter quos ex pagis, locisq; urbi Aphrodisio proximis collegerat, coegiße; ac pridie eius diei, qui in Diui Iacobi honorem ab omnibus Christi fidelibus celebratur, ad montem, qui olitueto imminet (ubi pugnatum fuisse supra memorauimus) perueniße. diem illum non sine ratione, aiebat, obseruasse, quòd ex ijs, qui à Christiana religione desciuerant, cognorat, postridie summo mane

nostros urbem oppugnaturos esse. Erat illi animus à tergo nostros dum urbem ipsi aggrederentur inuadere, ut repentina eruptione ab oppidanis facta circumuentos undiq; nostros iure suo cæderent, atq; internicioni darent. Sed cum aliter, atq; ipse edoctus fuerat, euenisset, & nostros ad proxima uenisse loca lignandi causa comperisset, belli fortunam tentare cum ys uoluit: ut si ibi paucos nostros opprimeret, uictor ad castra oppugnanda quamprimum aduolaret: exploratũ habens oppidanos eruptionem facturos, secumq; uictoria usuros esse. Sed quoniam ex eo certamine non uictus modò discessit, sed etiam magna suorum cæde fusus, ac fugatus fuit, eadem nocte ab Afrorum auxilys non destitutus solùm, uerumetiam profligatus (quod omnes asserebant) fugienti similis ad naues ijsdẽ itineribus reuersus fuit: quas nulla interposita mora cõscẽdit, Meningemq; insulã recto cursu

repetijt. Maximam illum tristitiã præseferentem illò noctu peruenisse: ex eodem Manuele, eiusq; socijs cognitum est, etiam Turcas iure iurando testatos esse, non paruum ex suis numerum, multos ex Afris quoq; in prælio cecidisse: & ad centum quinquaginta ex utrisq; uulneribus affectos; & credere certe multis partibus plures fuisse: quòd dicerent, tot glandes archibusijs à Christianis in se emissas, ut totã ferè planitiem ijs coopertam uidisse iurarent: quòd si conferti, ut nostri, iniissent prælium, non dubium erat, quin ad unũ omnes eo die cæsi à nostris essent. Testabatur id quoq; Manuel, Turcas dicere, Christianos, qui ad Oliuetum profecti fuerant, quinq; millium numerum excedere, & se duodeuiginti ex ijs occidisse: atq; unum inter eos, qui equo uehebatur principum omnium amplissimum, quem Siciliæ Proregem fuisse affirmabant; præter eos, quibus uulnera inflixerant, quos penè

innumeros fuiſſe cenſebant. præterea iacta-re, se ad noſtra perueniſſe caſtra, ac ſtatutis in uallo ſignis, inde facilè coniectaſſe, de-cem milium hominum exercitum noſtrum eſſe. Addebat inſuper, Dragutem Iudæos *quoſdam, & Afros, qui in ea inſula crede-re ipſi pecuniam ſoliti fuerant, ambire, pre henſare, etiam, atq; etiam rogare, ut denuo ſibi pecunias, quibus claſſem inſtruere, ac de commeatu, reliquisq; rebus prouidere poſſet, mutuas darent: ut piraticam de more facere, ac prædari, & inde contractum antea æs alie num, & quod nouum contraheret, diſſolue-re ipſis poſſet: sed illos nullis ipſius precibus antehac adductos, ut quicquam darent: ete nim uereri uidebantur, ne totum amitterent, cum ita profligatum, & perditum, atq; om-ni deſtitutum auxilio uiderent: & se crede-re nihil prorſus eum ab illis extorturum: nec ſi extorqueret, tantum tritici, quod ad nau-*

ticum panem, in dimidiatam classem confi-
ciendum, satis esset, tota insula inuenturum
esse. Illud præterea cognitum ex eodem fuit,
ipsum Dragutem cum duce quodam, cui Quer
queo nomen erat, egisse, ut Rhodum sua cau
sa ad Salam eius insulæ præfectum proficisce-
retur; ac suo nomine illum rogaret, ut secum
coire societatem uellet, & Siculum quendam
Acanum nomine, Milis natum, quem Chri-
sti religione iampridem relicta apud se ha-
bebat, illũ monuisse, ne illud cogitaret, neq;
ullo pacto illuc accederet: proptereaquòd ille
nullam unquam absq; Turcarum regis uenia
cum ipso societatem iniret; sed potius exigua,
quæ ipsi supererat, classe, ipsum continuò
spoliaret: quod inuito rege suo piraticam fa-
ceret; & illius uerbis factum esse, ut senten
tiam mutaret, ac biremem cum speculatoria
nauicula Cosyram uersus mittere statueret;
ut per eas exploraret, Siciliam ne, an aliam

partem triremes, quæ aberant, petiissent: quòd uehementer timebat, ne Lotophagitis oppugnandæ causa, ad exercitum, reliquasq; copias, quæ ad bellum gerendum expetuntur, comparandas, profectæ essent. Interim dum illæ redirent, ibi manere decreuisse, ut rem frumentariam, si posset, expediret: seq; inde mari quamprimum committeret. illud præterea nuntiauit, illi sexdecim tantum nauigia superesse; quòd cæteri socij coniunctionem cum eo diremerant: tum quòd malè ab eo tractabantur: tum etiam, quòd reliquorum piratarum, prædonumq; morem nequaquam seruaret, & inde non modò lucrum nullum ab ijs fieret, sed omnes fame potius necarentur: quanquam ipsi quoq; idem contingere testabantur. Hæc nobis adscribenda, nec ullo pacto prætermittenda censuimus: quoniam rē à nostris præclarissimè cum Turcis gestam cū certiorē, præclarioremq; faciunt; tū prosperū

eius diei euentum diuinæ primũ in suos milites benignitati: deinde Vegæ auctoritati, reiq; militaris scientiæ, qua acies instructa, & prælíũ cõmissum fuit, acceptum referendum declarãt explicatius. quanq; incredibilis militum uirtus eo prælio enituit, immortalemq; gloriam adepta est. Antonius igitur Auria cum nusquam circum Africam Dragutem inuenisset, præceptorum Vegæ, Auriæq; memor, Siciliam inde adijt, atq; uniuersam penè circuit. Ex arcibus quicquid sulphurei pulueris, pilarumq; tormentariarum erat, assumens, Messanæ, Panormiq; præter puluerẽ, pilasq;, & commeatum, reliquasq; copias, quæ classi, & exercitui in multos dies satis erant, munera ad Proregem illarũ ciuitatũ nomine perferẽda suscepit, sic enim præclaræ illæ urbes, Siculiq; omnes Ioannem Vegam admirari, ac diligere fatentur, propter iustitiam, innumerasq; alias uirtutes, quibus illum præditũ esse

ubiq; prædicāt, ut summo pere, & colant & uenerentur, & si quibuscunq; rebus possint, illi semper placere studeant: nunquam tamē sibi ipsi satisfacere uideantur. Et in hoc bello aduersus Turcas, Afrosq́; suscepto, sic illum cunctis rebus ad gerendum bellum necessarijs iuuerunt, ut illius testimonio fidelissimi Cæsari; ipsius uerò studiosissimi iudicati, & habiti iure sint. Lætus igitur Antonius, quòd se Proregi, Principiq́; Auriæ satisfacturum putabat, cum prouincialium liberalitate, & Ferdinandi præsidis cura, summaq́;, & procuratorum Cæsaris, & magistratuum diligentia secum ferret, quo bellum ex sententia confectum iri credebat (imposuerat etiam in classem, militum centuriam, ex Hispanis, græcisq́;, & Italis ultro nomina dantibus, ut in Africam transmitterentur, euestigiò cōfectam) Hispanos præterea circiter ducentos quos Ioannes Gusmanus, Ferdinandi Vegæ

Præſidis mandato ex arcium præſidijs conſcri pſerat, leni uento Panormo ſoluit. ſed an-tequam Drepanum perueniret, cœlo nubibus quamprimum obducto, magnaq́; in mari tem peſtate orta, res permira quidem certe acci-dit; quæ ſi antiquorum memoria accidiſſet, quibus res è cœlo tactæ magnum aliquod ma-lum, iacturamq́; portendere credebantur, maximum omnibus non præſentibus modò, ſed etiam abſentibus timorem incuſſiſſet. nos autem qui Christum, ueramq́; Dei pietatem colimus, non oſtentis, aut prodigijs terre-mur, nec ullum in omine pondus eſſe, nec re bus eiusmodi fidē ullam habendam cenſemus: ſed quicquid accidit, ut ab auctore Deo pro-fectum ſemper boni conſulimus. Nec eſt, quā obrem eius inſtituti nos pœniteat, ut ex ea re quæ Antonio contigit, perſpici poteſt: ete-nim cum cœlum tonitruis contremeret, cre-braq́; flamma inter nubes coruſcaret, et illarū

conflictu expressus ardor se emitteret, malus tantummodo unius triremis Principis Auriæ, quam in sua classe habebat, fulmine ictus deflagrauit: & si tres remiges, qui prope erant, exanimati sunt; cæteri tamen, quãquam territi admodum fuere: nullum tamen incommodum, aut detrimentum accepere: &, quod maximam cunctis admirabilitatem fecit, puluis sulphureus, cuius tota ferè triremis plena erat, intactus quidem, & illæsus à cœlesti flamma permansit. Quod superstitiosi illi ueteres in malam partem accepissent, nos in bonam accepimus: & Dei erga nos benignitatem agnouimus; qui suorum curam gerens, nauem & illos à tanto discrimine tutos præstitit; & puluerem, quo hostes perdendi erant, magno omnium stupore seruauit. Euentu igitur lætus Auria (nam maris tranquillitas non multo post rediјt) Drepanũ cursu tenuit; ubi reparata triremi Africam

uersus nauigauit: quò altero post die magna omnium lætitia peruenit: Vegæ præsertim, qui certam eius belli propediem conficiendi spẽ accepit: cum uideret, multo plus illum ex Sicilia, quàm ipse optauerat, attulisse, ac nõ minore cura, & diligentia, quàm prudentia, & auctoritate datum negotium confecisse. Quare illum summis laudibus ad cœlum tulit. Siculos quoq; uehementer commendauit, seq; de ijs benemeriturum spopondit. Illis propè diebus Aluarus Vega cum magna militum bene instructorum manu ad oliuetum lignandi causa (ut plerunq; iussu patris solebat) profectus fuit. Præibat Matthæus græcus ille, qui centuriæ græcorum præerat, cum duobus tantum socijs excurrens, ut proxima loca exploraret. Itaq; dum ligna cædebantur, nostriq; milites constiterant, ut si quid accideret, suis subsidio esse possent: illi longius, quàm par erat, speculando euagati,

in Afros equites circiter uiginti inciderunt, à quibus circumuenti, Mattheus cum altero, quòd non ualidis equis uehebantur, trucidatus fuit. Andreas græcus itidem, & dux illius centuriæ, quam Antonius Auria ex Sicilia transportarat, qui cum illis præcurrerat, cum meliorem haberet equum, ex hostiũ manibus elapsus ad nostros se recepit: &, quid socijs euenisset, Aluaro nuntiauit: qui illorum casum grauatè admodum tulit, Matthæi præcipue, quem ob animi integritatem, singularemq; uirtutem sæpenumero perspectam mirificè diligebat. Prorex etiam, & quicunq; eum nouerant, ob eandem causam illius uicem doluere. Aluarus postquam ligna à suis cæsa, atq; in fasces collecta perspexit, eodem ordine, quo profectus fuerat, reuersus est; suosq; nullo præterea accepto detrimento ad castra reduxit. Accidit aliàs, quod Iordanus Vrsinus, quem Florentinarum tri-

remium præfectum diximus, nostros itidem li-
gnandi causa oliuetũ petentes subsecutus fuit:
equo ipse Africano uectus, à quatuor Floren-
tinis equitibus comitabatur. cum nostri po-
stea cæsis lignis ad castra reuerterentur, sub
stitit paulum cum suo comitatu Iordanus, ut
auem, quam in arbore uiæ proxima conside-
re perspexerat, paruo tormento, quo ob cer
tos ictus magna cum laude utebatur, percus-
sam deyceret. Dum totus igitur feriendæ uolu-
cri intentus esset, Afer quidam agilitate corpo
ris, atq; uirtute clarus, qui albo equo sed uer
sicolore iuba, caudáq; uehebatur, secumq;
octo equites, & triginta pedites semper ha-
bebat, ex insidijs egressus (quod sæpenume
ro fecerat, nec unquam ipsius conatus suc-
ceßu caruerat) tanta Vrsinum nil tale co-
gitantem celeritate inuadit, ut prius lancea
brachium illi transuerberet, præcipitemq; ex
equo trahat, quàm tormentum ille in hostem

deflectere, aut ipsi à comitibus subsidio ueni-
ri possit. Quamobrem grauiter uulneratus
Vrsinus, & equo priuatus in castra relatus
est. Afer autem uictor, & equo auctus inco
lumis abijt, ac nostros ut sibi melius præcaue
rent admonuit. Postero die quàm Matthæus
ille græcus occideretur sub prandij tempus
Marcus Centurio, quem ad Ferdinandum
Gonsagam à Vega, Auriáq; missum comme
morauimus, redijt, totumq; exercitum læti-
tia affecit. duces præsertim, atq; in primis
Vegam: qui illius aduentu in spe capiendi
Aphrodisij confirmatus est. nam præter non
nullam sulphurei pulueris, pilarumq; tormen
tariarum, & commeatus uim mille & quin
quaginta aduexit milites; Hispanos omneis;
strenuos quidem uiros, iam inde à pueritia in
studijs bellicis uersatos: qui cum armati, &
instructi prætensis signis, & uexillis in tri-
remibus apparerent, spectantibus nõ milites;
sed

sed duces omnes uidebantur: & qui non in bellum progrederentur, sed uictores ex bello ouantium modo reuerterentur. Quarè illorum tam læto aduentu nostrorum animos, opesq́; creuisse: hostium uerò supra modum decreuisse, iure optimo existimatum. Qua in re Ferdinandi Gonsagæ integer erga Cæsarem, Vegamq́; cognitus est animus; & summa, quam in illis mittendis adhibuit, perspecta diligentia: maximamq́; inde laudem ab omnibus tulit, à Vega præcipuè, qui dum se illi gratissimum declarare (ut re uera est) exoptabat, illius præclaras atq; innumerabiles magni, candidiq́; animi dotes cum in sermone quotidiano: tum publico, & crebris ad Cæsarem missis literis celebrabat, illustrioresq́; faciebat.

HORATII NVCVLAE INTERAMNATIS COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI

LIBER QVARTVS

A VCTIS igitur ex sententia copijs nostris, fabricatisq; machinis, & aggeribus ad passus ducentos propius urbē iactis, & in ijs æneis tormentis collocatis, cum abundè ijs utendi gratia suppeditata cuncta essent, nec commeatus, nec ulla alia res nostris deeßet, iam de oppugnanda summa ui urbe cogitabatur. sed ut prosperè res succederet, ac facilius conficeretur; quemadmodum à mari, sic alibi à terra urbis mœnia

quatere nostri decreuerunt : ut cum tripartitò eam inuadere consilium esset, diductæ hostium manus infirmiores ad resistendum fierent. Itaq; & turris ingens ad octanguli formam in muri angulo ad orientem extructa, & quæ illi coniuncta pars muri erat, uiginti modò, modò pluribus tormentis æneis maximis pulsari cœpta. Et quanquam nullum in eo opere faciendo tempus intermissum, diuq; pulsata ea pars fuit; tamen præter opinionem principio euenit : nam cum turris illa, murusq; multo munitior, ac renuntiatum antea fuerat, inuentus esset; magna pulueris, pilarumq; uis consumpta est : deiecta tamen non modica pars utriusq; fuit, quæ gradum nostris ad subeundum præbere poterat : atq; id causæ fuisse, quòd eam partem hostes relinquerent; nec nisi coacti, aut magna allecti mercede illuc accederent, creditum fuit. præsertim quòd Afer quidam à

Granata Beticæ ciuitate oriundus, quem Christiani in uinculis intus detenti ad Vegã miserant, magnum turcarum, & oppidanorum timorem esse nuntiauit, & eò illius turris defensionem penitus omissam, & uno tantum die uiginti turcas in ea parte constitisse, ijsq; singulis Halim illorum præfectum quinq; aureos ut tueri eam uellent, numerari iussisse. ex eodem quoq; cognitum est, magnam commeatus inopiam omnibus esse, sed oppidanis maiorem: cum illi lupinis tantùm, Turcæ autem pane hordeaceo uescerentur. etiam plumbum ad sclopettorum glandes conficiendas illis deesse: quod etsi uerum esse compertum fuit, cum paruos lapillos bractea tantùm plumbea coopertos in milites nostros emitterent: tamen cætera omnia, quæ dixerat, falsa erant. Ab eodem nuntio edoctus Vega fuit, æquè eam muri partem, quæ iam inde ab initio quassabatur, atq; eam, quæ postea

pulsari cœpta, quæ quidem foris deiectæ, ac disturbatæ uidebantur, integras adhuc intus, atq; altas constare: latis, profundisq; fossis, atq; alijs munitionibus ualidas esse: hoc quoq; uerum erat, sed, quæ sequuntur, nihil prorsus ueritatis habere, cognitum fuit: asseuerabat enim ob magnum occisorum numerum superstites turcas uix ad eas modò partes tuẽdas sufficere. quòd si aliunde præterea oppidum inuaderetur, haud erat dubium, quin euestigio caperetur. Quamobrem eius negotij bene conficiendi spes in eo potissimum reposita erat, ut machina illa supra triremes constructa, & iam perfecta (ut diximus) ad constitutum in mari locum (nam ut hostes fallerentur, in statione, ubi tota classis erat, ædificata fuit) ageretur: ut de improuiso prostratis ab ea parte mœnibus, qua non bene firmum oppidum esse constabat, quòd murus penè tenuis, nullaq; ducta fossa, aut

agger ad eius firmitatem iactus esset, repentino oppressi malo hostes deuincerentur. Iam de agenda urbem uersus machina cogitabatur: etiam Vega decreuerat, ut cum milites à tribus partibus urbem aggrederentur, aggressionis die triremes omnes, & naues actuariæ, quæ aderant, illam circumuallerent; schalisq; muro admotis uel ascensum simularent: uel re ipsa in muros euadere (si qua offerretur occasio) niterentur: idq; à principe per nuntium petierat, & sperabat fore, ut in suam uoluntatem illum adduceret, cum Comes Philippinus Auria ab illo missus, ad ipsum in tabernaculum uenit; ut ei uerbis illius nonnulla exponeret. Fortè tunc Alfonsus Coua, quem Cæsar in Ludouici Peresij demortui locum, ut arci Gulettæ præesset, nuper suffecerat: & ea in castra, ut prius quàm illuc accederet, cum ipso Vega, Auriaq; nonnulla communicaret, ex Germania

miſerat; coràm aderat: Aderant etiam & Cicala, & Baltaſar Brauus Ordinis diui Iacobi miles, egregij quidem, ac non paruæ auctoritatis uiri. Hos Vega, ne diſcederent, rogauit: proptereaquòd ſibi in optatis erat, ut tum eorum, quæ à Comite Philippino exponerentur: tum eorum, quæ ipſe ad ea reſponderet, teſtes eſſent: dicebat enim accidiſſe non ſemel, & iterum, quòd aliud ſibi Princeps per internuntium ſignificarat, ac dixerat; aliud tamen poſtea factum fuerat: & ad Philippinum conuerſus, ut Auriæ mandata coràm illis exponeret, rogauit. Eius orationis duo capita fuere, unum quòd Andreas diceret, cum Garſia ſe de ratione, atq; ordine inuadēdi Aphrodiſij locutum eſſe, cumq; ſibi reſpondiſſe, ad ipſum continuò ſe uenturum, ac re cum ipſo communicata aggreſſionis conſilium, rationemq; ex ſententia illius ineundam eſſe. Alterum quòd cum

uideret, classem commeatus indigere, ac nō nullos præfectos panem nauticum à se poscere, decreuerat (modò per ipsum liceret) uiginti triremes eam ob causam Neapolim mittere. Ad ea Prorex, dudum Garsia (inquit) huc se contulit, nobiscumq́; congreßus est: & si de uarijs, ut fit, rebus locuti sumus, de ista tamen, ut locupletissimus hic testis est, eundē Alfonsum digito monstrans, qui tunc quoq; præsens adfuerat, ne uerbum quidem nobiscum fecit: sed rumorem iampridem in castris esse, summopere Garsiam desiderare, ut ijs duntaxat copijs, quas ipse Neapoli aduexerat, Aphrodisium oppugnaretur: quod sibi consentaneum nequaq̄; uideri; etenim cum duabus, aut tribus partibus impetus fieri in urbem posset, & in illis non pauci desiderarentur, & pleriq; omnes iam defessi eßent, se maiore militum numero ad eam prouinciam opus eße censere; eosq́;

(quod Deo acceptum referebat) non deesse; qui æquè armis instructi essent, & nulla alia in re illis concederent. Quamobrem non se cum præcauendi facultas esset commissurum, ut quicquam in præsentia fieret, ex quo rés in discrimen adduci posset, & quemadmodum nonnullas antehac indignitates contra suam existimationem Cæsaris causa perpessus fuerat; ut illius potius, quàm sui rationem haberet, sic multo melius, ac diligentius posthac se eiusdem Cæsaris rem, negotiumq; acturum esse; si magno cum dignitatis suæ splendore, illud agendi daretur occasio: nec passurum ullo se pacto esse, ut ob iniustas quasdam causas, ac rationes, quas explicare non è re esse dixit, in existimatione Cæsaris, cuius seruandæ, atq; amplificandæ rationem haberi uolebat, detrimentum acciperetur: ac se, ut id ex sententia eueniret, omni cura, opera, & diligentia prouisurum: cũ Princeps ipse

neq; auctoritatem , neq; fidem, nec maiorem dignitatem haberet , nec plura , aut maiora Cæsari officia hoc in bello præstitisset . Quòd autem diceret , se Neapolim uiginti triremes commeatus gratia missurum : ad id liberè se non eius sententiæ esse respondit, ut cum urbs propediem oppugnanda esset , tempore tam necessario pars classis abesset: præsertim quòd à Cæsare mandatum habebant (eo enim nomine nuper Alfonsus in castra uenerat) omni adhibita diligentia laborarent, ut Dragutes ipse in nostram potestatem redigeretur : quod non uidebat , quo nam id pacto fieri posset , si illud consilium ualeret : nec se Cæsaris imperium negligendum censere . mirari præterea se uehementer uirum prudentissimum , qualis Princeps habebatur , in posterum non prospexisse , nec classi, ut par fuisset , de rebus necessarijs opportunè prouidisse . sed persuadere sibi non posse, eam esse

illi inopiam, ut tantisper saltem dum tentarent, an Aphrodisium capi poßet, non sustentaretur classis: præsertim quòd multis ante diebus illum rogarat, ut quæ classi maximè ad uictum necessaria duceret, maturè inquirenda curaret: ut ipse, nequid earum rerum exercitui deeßet, multo ante prospexerat: Quòd sicunde tamen uictus esset petendus, Drepanum potius, ubi compertum habebat, magnam uim panis nautici illius mandato quotidie confici, quo breuior, faciliorq; cursus esset, quàm Neapolim, unde reditum non tempestiuum præuidebat, triremes mitteret. sed rem meliore statu esse, quòd aliquē ipse frumenti numerum in horreis habebat: quod eo pretio, si mercari uelit; quo Cæsaris procuratoribus illud indicatum antea in Sicilia fuerat, addiceret: ex quo remigibus, nautisq; quotidianus uictus præberi poßet. Cumq; ad id Philippinus respondisset, non

posse remiges, nautasq; triticea farina uesci: Prorex non sine stomacho, si qui Aphrodisij per nos obsidentur, ad summam redacti inopiam tandiu Dragutis piratæ immanis, barbarisq; gratia hordeo duntaxat uescuntur, miror uehementer, quid sit, quod pessimè secum agi putent, qui maxima, & penè innumerabilia quotidie à Cæsare Imperato*re* Optimo, *maximo, liberalissimo beneficia accipiunt, si illius & (quod magis mirandum est) dei causa, optima moliti tritici farina uescantur.* Hic Prorex *tacuit:* Philippi*nus autem ad* Auriam *reuersus est; eiq; ordine, quæ à* Prorege *dicta fuerant, cuncta narrauit.* Voluit Vega, *eximios illos uiros earum rerum testes esse, ut siquid* Auriæ *consilio, factisq; præter opinionem accideret, non sibi, sed illi claro eorum testimonio ascriberetur. quanquam ad se potissimum spectare existimans, curare diligenter, ne quid res Cæsa-*

ris detrimenti caperet, tamdiu summa uti potestatestate solus decreuit, quo ad negotium plenè, cumulatéq; perficeretur. Itaq; qui semper antehac modestiæ ac ætatis ratione ductus maximum Principi honorẽ habuerat, etenim secum unà passus fuerat, componere edicta composita, nomine Cæsaris edicere, atq; alias res complures quasi pro iure suo facere; quæ omnia ipsum tantummodo, qui summe rerum terra præerat iussu Cæsaris, decebant, & illius causa nequid damni faceret, æquo animo de suo iure decesserat, non solùm terra, sed etiam mari solus in omneis eo temporis spatio imperium tenuit: nec tesseram modò solus dedit; edicta composuit, edixitq; atq; alia militiæ munera suo tantùm iussu obiri mandauit: uerùm etiam edicto sanxit, ne qua nauis actuaria, ex ea statione iniussu suo discederet: & qui non paruit nemine prohibente pœnas dedit. Vbi per Philippinum

Andreas Auria Vegæ animum cognouit, illius integritatem considerans, & loquendi libertatem, atq; constantiam; statim illi significandum censuit, se haud iniquo animo ea modò per Philippinum exponi iussisse: sed potius, ut consilio cum eo de ijs rebus communicato, quid ipse optimum factu duxisset, exequeretur: nec debere ipsum, res aliorsum, atq; dictæ fuerant, accipere: se Cæsaris rē, dignitatemq́; auctam uelle: neq; aliud quicq̃ æquè iampridem studere. Quamobrem se ad omnia, quæ facienda existimaret, ipsi præstò fore. Communi igitur consilio decretum est, ut pro pane nautico classi petendo quatuordecim triremes in Siciliam extemplo mitterentur: de ratione autem aggrediendi urbem, quoniam cognitum est, Auriam à plerisq; ducibus incitatum censere haud diutius immorandum; sed anteq; à mari tormentis æneis uerberaretur, oppidum inuadendum

esse, id Vega rei militaris peritus cum ita periculosum uideret, ut, si ex illorum sententia Aphrodisium oppugnaretur, de re Cæsaris, atq; exercitu, & Christiana republica actũ foret: pernicioso illorum post habito consilio, suum, quod optimum perspiciebat, ualere, atq; omnia ad suum duntaxat præscriptum fieri uoluit. Is certè rerum status erat, ut nõ milites modò, qui partim temere, & prædæ cupiditate moti, partim ut belli laboribus, incommodisq́; liberarentur, sed Centuriones, Tribuniq́; ad unum omnes summopere cuperent, eiusq́; sententiæ essent, ut nulla alia oppugnandi oppidi mora fieret: Garsia in primis, qui ad aditum nostris in urbem faciendũ, quibus nihil unquam fuerat inuium, affirmabat satis esse, quod muri deiectum tormentis esset; eosq́; tunc alacres, fortiq́; esse animo; quòd si differretur aggressio, fieri posset, ut illum remitterent, atq; è fortibus ignaui fie-

rent: sed iure in alia omnia prorex ibat; cũ uideret, utranque murorum uerberationem uel nullum prorsus aditum, uel admodum diffi cilem præbituram: & certe eius rei facilis erat coniectura, cum mœnia ab interiore ur- bis parte integra adhuc manerent; & non solum hostes muniendi, sed quod ex ijs euer- sum tormentis fuerat, reparandi spatium ha buißent; ac strænuè id effecisse, & sibi illos non defuiße, constabat. huc addebat, quòd urbis pomærium nunq̃; per nostros capi, aut ullo pacto ab hostibus extorqueri potuerat, in quo barbarus ille quidem, sed strenuus dux, & intrepidus Halis *cum delecta barbarorũ manu uersabatur; ut nostros in eam partem irrumpentes à lateribus aggrederetur. Quam obrem minimè tempestiuas militum uoces, ru moresq;, & ducum sententias* Vega *parui- pendens, tantisper negotium differendum pu tauit (quod inuitis ferè omnibus effecit) dum*

mœnia à parte maris tormentis in machina collocatis disturbarentur; oppidumq; nudarent: ut & tripartitò illud inuaderetur, id quod sæpissimè dixerat, & eò diductæ hostiũ manus uiribus debiliores fierent. Nec id præter opinionem euenit: nam cum hostes nõ putarent tantum à mari periculum impendere, robur militum in urbis fronte iam inde ab initio collocarant; nec ullam inde partem, cum postea opus fuisset, deduxerant. Quare factum est, ut nostri uictoria potirentur. Sed ne Garsiæ, reliquorumq; ducum non aliquam habere rationem uideretur, quanq; tripartitò (ut diximus) urbem adoriri, treisq; acies instruere ad peragendam rem constituit: tamen quæ centuriæ ex ijs, qui Neapoli accersiti fuerant, quibus tantùm Garsia in oppidum irruere in animo habuerat, in prima acie, quæ ue in altera, & tertia locandæ essent, illius arbitrio reliquit. Itaq; anteq;

dies aggreſſionis adeſſet, ut omnia ſuo tem-pore à noſtris fierent, quibus copijs inſtruen-dæ acies; quæ centuriæ in ſubſidijs ponendæ; quæue in caſtris ad ipſorum cuſtodiam relin-quendæ eſsent, perſcripſit. eam fuiße ratio nem, & ordinem comperimus. In prima acie, quã uolebat primã urbis partẽ, quæ principio tormentis æneis diu pulſata, & diſturbata partim fuit, adoriri, tum militum, qui Nea poli uenerant, partem, quam Garſia delige ret: tum quibus Franciſcus Amator, & Gas par Guſmanus ſtrenui duces præfecti fuerãt; locari mandauit: Hæc octingentorum mili-tum, & quinquaginta explebat numerum: huic nullum præcipuum ducem præficiendum cenſuit, cum in illorum centurionum uirtute, peritiaq́; rei bellicæ multum confideret. Alte ram aciem in urbem irrupturam, quà turris pars octanguli formam habentis, muriq́; illi cõmiſſi ſecundo loco decẽ circiter dies quaſſata

tandem corruit, Aluari Vegæ Præfecti Prætorij, & Tribuni militum cohorte; & altera eorundem militum, quos Garsia classe aduexerat, parte firmari uoluit: hos ij, quibus Antonius Morenus, & Morerola uiri diu in bello uersati præerant, sequi iubebantur: hæc acies mille, & quinquaginta habebat milites: His Ferdinandus Toletus præesse iussus. Tertia, quæ à parte maris aggressura urbem erat, nongentis, & quinquaginta constabat militibus; quorum uni parti, præterq́; quòd erat tribunus militum, uniuersæq́; aciei imperabat, Ferdinandus Lupus præerat: alteram Hieronymus Manricus, & cui nomen Solitius erat, magna cum gloria ducebant: reliqui ex eorum erant numero, qui Neapoli profecti fuerant. Iussit præterea Hierosolymitanæ religionis militibus non minus genere, quàm factis præclaris optionem dari harum quamlibet eligendi, in qua con-

sisterent, unaq; in oppidum irruerent: hi cum classis militibus quadringenti erant, Bernardumq; Chimeranum strenuum uirum habebant ducem. Ad tormentorum æneorum custodiam, & ut præstò forent, si quid accideret, Ferdinandus Sylua Vegæ sororis filius bonæ indolis, & magnæ spei adolescens, & Petrus Acunea, et Rodoricus Paganus cum suis ordinibus relinquerentur. Post hos, qui militiæ sacramento non tenebantur, extráq; ordinem militabant, constare, & ad illorum exemplar cuncta facere, atq; eundem ordinem seruare iussit. Hi tunc ad trecentos erant, cum antea plures fuissent, Siculi ferè omnes, atq; ijs Constantinus Saccanus Iacobi Saccani filius Mamertinus imperabat, à Iacobino illo Saccano originem trahens, cuius & Anſaldi Pactij, & Nicolai Camuliæ nobilium Mamertinorum pijs lachrimis motus, consilijsq; persuasus Comes Rogerius Hunfredi

Normandi filius præclara indole iuuenis, & in pacis, belliq; artibus admirabilis, ac non parua auctoritate cum sex instructis triremibus è Mileto Brutiorum oppido adductus, tum industria, opera, diligentia, atq; urbis potentia adiutus non Messanam modò, sed etiam uniuersam Siciliam à superbo Maurorum dominatu fusis, profligatisq; quinq; immanissimis eorum ducibus, quorum princeps Raxis appellabatur, ad sempiternam diuini nominis, suiq;, & Mamertinorum gloriam liberauit. In castrorum præsidio Ioannem Gusmanum, ac Bernardum Solerium cum suis militibus, & Græcorum centuria relinqui mandauit, ijsq; filium Aluarum præesse; quem monuit, ut quinquaginta pedites in aggere extra castra iacto collocaret: ijsq; duos, quibus tormentorum cura mandata erat, adiungeret, atq; eos omnes in illius, & turrium custodia uigilare iuberet. Illud

in primis illi præcepit, diligentissimè caueret, ne ad arma conclamaretur; sed si quid forte accideret, nuntium continuò ad se mitteret, ex quo quicquid id esset, quamprimum intelligeret, & pro re ipsa, & tempore prouideret. Hos bono esse animo iussit, ac certam spem habere, ipsis si oppidum expugnaretur, prædæ partem non defuturam. Inuadendæ urbis signum tuba militibus dari placuit, ac speculatoriam nauiculam ad littus adesse, quæ & tubæ sonitum perciperet, & Principem Auriam de tempore certiorem faceret: ut ipse quoq; oppidum triremibus circumfusis inuaderet, oppidanosq; propugnationis, ac defensionis gratia distineret. quod quidem suo tempore Princeps fecit, uictoriamq; ex hostibus partam non minus prudenter pro parte sua, quàm diligenter adiuuit.

Hoc idem Carolus Sfortia cum summi Pontificis Iulij.III. militibus, hoc idem fecit Iorda-

nus Vrsinus cum ijs, quos à Cosmo Florentinorum Principe cum classe acceperat, & Astor Ballionius, & Antimus Sabellus, cæteriq; Itali nobilitate præstantes, qui cum rerum Cæsaris studiosissimi sint, se ultrò ad id bellum contulerunt, séq; in eo Itala uirtute, splendoreq; dignos præstiterunt. Non sine ratione accidit permirum multis Vegam ausum esse his paucis copijs tantam prouinciã suscipere atq; oppidum egregiè natura, & opere, & ualido munitum præsidio inuadere: & certè putabant fore, ut re infecta discederet. At ipse non militum multitudine, sed uirtute fretus, non dubiam uictoriæ spem acceperat: quantum enim illi ualerent, non modò fando audierat, sed ipse etiam expertus persæpe fuerat: etenim cum Legatus abhinc quinquenium Romæ esset, ut Paulo. III. Pont. Max. Cæsaris mandata exponeret, in Galliã inde Cisalpinam Alfonso Dualo Vasti

marchione, qui ibi imperium tunc iussu Cæsaris; obtinebat, ægrotante, eiusdem Cæsaris mandato proficisci iussus, iisdem militibus ea edidit facinora, ut afflictis imperij rebus opportunam opem ferret: ibi enim Gallos hostes sempiternos uexauit, multos occidit, cepit, dissipauit, multa castella, & munita oppida improuiso aduentu suo expugnauit, Cæsaris rem penè collapsam restituit. ibi etiam & paucis ante annis Pompeiopoli in Hispania citeriore cum illius regionis Prorex esset, impetumq; Gallorum, & conatus semel, & iterum perfregisset, hos milites, quorum pars ibi aderat, & eorum uirtutem nouit: uiderat enim utrobiq; eos ad nutum monentis intentos esse, signa sequi, ordines seruare, quod imperabatur, omneis axaudire, obsistere, circumire, discurrere, in cornu mutare pugnam, non secus, ac duces callere; humi cubare, inediam pati, frigus, caloremq;

æquè ferre, uigilare, omnia deniq; militiæ munia strenuè semper obire. nec in Gallia cisalpina, & in Hispania solùm, sed etiam paucis ante diebus in pugna aperto campo aduersus Dragutem in ipsos irruentem commissa, illorum uirtutem, & rei militaris scientiam agnouit; in qua uix septingenti milites quatuor millium impetum sustinuerunt, mox, quòd tam audacter restitissent, cum creuissent animi, magna illorum cæde uictores fuere, in fugamq; illos uertere. Et non modò hic hostes uicti, sed etiam qui eruptione ex urbe facta castra nostra oppugnarant, temerarij ausus pœnas dedere. His igitur pugnacissimis copijs confisus Vega Aphrodisio urbe omnium munitissima breui potiendi certam spem cepit: & tantæ rei magna cum omnium admiratione compos fuit. Nunq; interea tormenta ænea à terræ parte muros, turresq; quassare desierant, ut cum

putarent hostes illac tantum nostros impetum in urbem facturos, se ibi duntaxat ad resistẽdum pararent; & profectò ita eam partem, altis, latisq; ductis fossis, stipitibusq; à summo præacutis, ac dimidiatis hastis ferro munitis in illas defixis; etiam ferreis hamis per spatia intermissa dissatis, & tormentis, & ignibus artificio confectis (quemadmodum supra demonstrauimus) munierant, ut nisi à parte maris urbem capi posse præuisum fuisset, machinaq; illa ad mœnia deijcienda excogitata, nullis unq̃; uiribus uictoriæ compotes nostri fuissent. Ex quo quanta sit ingenij uis, decusq; facilè perspicitur: quod tametsi in rebus ferè omnibus præstare uiribus animaduertimus; tamen illius excellentia in rebus bellicis maximè nitet: cum plerunq; uideamus, magis solertia ducis, quàm exercitus uiribus res magnas geri: & apud auctores tum Græcos, tum Latinos legamus, olim sæ-

penumero illuſtribus Imperatorum ingenijs maximos exercitus modicis copijs fuſos, atq; internicioni datos. Prudentia igitur, & ſingulari Vegæ ingenio, atq; induſtria, & magna Garſiæ ſolertia prouiſum eſt, ut, quod uirium præſtantia non poterat, ingenij acumine uinceretur. Machina igitur, in qua poſita ſpes erat euertendæ urbis, pridiequàm ipſa oppugnaretur, ante lucem ab hominibus eius rei peritis agi cœpta, atq; ad delectum antea in mari locum, qui ab urbe paſſus circiter ducentos & quinquaginta diſtabat, perducta: & inde oppidum magna oppidanorum iacturа pulſari, ac quaſſari cœptum. præſertim quòd tribus alijs maioribus tormentis, quæ in paruo, humiliq; promontorio in mare procurrenti ſtatuta erant, eadem muri pars, quanquàm non directè, uerberabatur; damnumq; maximum faciebat. Præerat æneis machinæ tormentis machinator optimus, & cui fre-

quens illorum, & magnus erat uſus Andronicus Spinoſa nomine; cui poſtquàm tormentorum, & machinarum cura in Africa mandata eſt, magna ad rem peragendam, belluḿq; conficiendum eſt facta progreſſio. Hic murum tanto impetu à mari quatere illis cœpit, ut, quoniam non ea firmitudo eius erat, quæ anterioris fuerat, liquidò appareret, breui magnam illius partem euerſùm iri. Oppidani ubi uiderunt ab ea ſe parte peti, qua nunquam putaſſent, quam ob mare potius ualidam, quàm ob mœnia exiſtimarant, nulliſq; munimentis (cum nihil inde timerent) ſtabilierant, inopinato perculſi malo, quid agerent, prorſus neſciebant. Cum autem poſtea ſe collegiſſent, latam, profundamq; ducere foſſam à parte interiore parabant. quod tantiſper illis permiſſum fiat, dum murus tormentis quaſſatus euerteretur: quod quidem infirmitate murorum, et crebris tormen-

torum ictibus non magno admodum negotio fiebat: à quibus ità uexebantur, ut ab ea parte nemo posset consistere. Relinquebatur igitur, ut, quoniam nec munire, nec si quid deiectum esset, reparare ictuum crebritate possent, se uicissim cohortarentur, ac confirmarent, ut euersis muris nostros irrumpentes uel aditu probiberent, uel fortiter pugnando mortem occumberent: cum longè præstare existimarent, cum gloria mori, quàm seruitutem, atq; alia indigna ob hoste pati. Magnum igitur agmen cogunt, atq; in eo loco instructum stare iubent, unde prostratis mœnibus ad nostrorum irruentium impetum excipiendum concurrere quamprimùm posset. Prouident etiam, ut medio foro aliud peditum agmen armatum, atq; instructum in subsidijs staret: ut si forte primi nostrorum impetu pellerentur, ibi recentes defessis succedendo redintegrare prælium, ac restituere rem

prouirili tentarent. his nonnullos equites addunt, qui ordines pugnantium nostrorum perturbarent, & obuios plerosq; obtererent. quicunq; ferre arma possent, armari iubent; quibus tela, enses'q; deessent, ut lapidibus, fustibus'q; pugnarent, hortabantur. monebant præterea mulieres, ut non luctui, inertibus'q; querelis, & lachrimis, quibus nihil profecturæ essent, se dederent: sed ipsæ quoq; è superiore ædium parte saxa, trabes'q; in hostes deijcerent, & quoquomodo possent, aduersus illos præliarentur; à quibus, si uictores essent, urbe'q; potirentur, in miseram seruitutem trahendæ cum paruulis natis erãt. Dum oppidani se mutuò cohortantes ità ad urbis defensionem obstinatis animis præparant; Turcæ, qui in turribus, & propugnaculis erant, postq̃, animaduertunt, se à parte maris tormentis peti, quàm maxima possunt ui nituntur, ac laborant uehementer, ut tor-

menta & ipsi ænea aduersus nostros in muro constituant, & uim ui propulsent: nec irritus eorum sit labor: nam & tormenta in muro collocant, & illorum explosionibus machinam nostram percutere uicissim incipiunt, & partem incendunt. Quod quidem ubi nostri perspiciunt, magno, & inopinato perculsi metu miserunt; qui suo nomine rogarent Auriam, ut si machinam, & qui in ea erant, saluos uellet, inde illam amoueri iuberet. Itaq; Auria nullum eorum precibus relinquens locum misit quamprimum; qui illud peragerent, atq; illorum uoluntati cumulatè satisfacerent. Sed Deus opt. max. qui ea sapientia cuncta gubernat, regitq́;, ut humanæ mentis coniectura capere nequeat, ut illud perficeretur; nequaquam permisit: altera enim triremium tormentorum ictibus, atq; explosionibus ita limoso uado hæserat, ut nulla inde ui remoueri, aut auelli posset. Vbi eius

rei fama ad Proregem Vegam, ac Garsiam, qui mandatam sibi eam curam non inuitus susceperat, peruenit; communicato inter se consilio Oriolæ strenuo militi diu, multumq; in rebus bellicis uersato, tunc ordines haud immeritò ducenti, negotium dederunt, ut cum centum delectis militibus machinæ præesset; & qui in ea erant, metu territos confirmaret; & qui tormentorum curam gerebant, illis omni prorsus amoto metu in hostes uti iuberet. Hic non recusauit imperium, sed ea lege suscepturum se negotium professus est, idq; à Prorege multis precibus contendit, ut cum oppidum inuadendum eßet, relicta ipse machina cum reliquis ad illius oppugnationē, & impetum in illud faciendum ueniret; non paruo dedecori sibi fore existimans, si dum alij cum hostibus manus consererent, tunc ipse in machina tanq; imbellis commoraretur. Quod mandatum huic fuit, maximo studio,
summaq;

summaq́; diligentia executus est: territis enim eo malo hominibus æque, qui tormentis præerant, & qui ad machinæ defensionem uersabantur, ex eius latebris, in quas se abdiderant, manu extractis, atq; in summa machina positis, ut, quod in rem esse animaduerteret, illos officio suo fungi cogeret; & igne, qui corrumpere opus cœperat, diligenter extincto, fortè euenit, ut hostilium tormentorum ictu machinæ inflicto, quo materiæ frustula quamplurima disiecta, ac dissipata multis corporis ipsius partibus infixa sunt, grauiter uulneraretur: nec diutius ibi persistere posset. Quamobrem necessitate coactus datum negotium, quod diligentissime curabat, Vegæ non solùm permissu, sed etiam mandato omisit, & ut acceptis uulneribus mederetur, operam dedit. Quare placuit, ut Centurio, cui Solitius nomen erat, fortis item miles, & rei militaris admodum peritus, qui

in bello aduersus desciscentes Germanos ab=
hinc triẽnium per Cæsarem gesto, Henricum
Saxonum Ducem cepit, captiuumq; duxit,
Oriolæ succederet: qui negotium eadem, qua
ille conditione libenter suscepit; seq; ea opi=
nione; quam de eo duces ceperant, dignum
præbuit; urbemq; illam disturbatis mœnibus
patefecit: quà nostris postea irruptio in illam
fuit. Vega, qui ex progressu tormentorum in
quassandis, euertendisq; mœnibus eo die fa=
cto coniecturam fecerat, postridie eius diei
oppugnari urbem posse, Centuriones, præ=
fectos, Tribunos militum, aliosq; principes
in exercitu uiros paulo post meridiem aduoca
uit, atq; ex ijs quæsiuit, quo tempore inua=
dendum oppidum censerent. Et si omnes ferè
ad unum ob bonam muri partem euersam
putabant eo ipso die exercitum admouendũ,
ut uel quà dirutus, uel quà lababat murus in
urbem irrumperet; Vega tamen in sua per=

ſiſtens ſententia, in poſterum diem differen-
dam oppugnationem exiſtimauit: quòd rem
faciliorem, ac tutiorem fore arbitrabatur, ſi
maior pars deiecta urbem nudaret, patentio
remq́; aditum aggredientibus noſtris daret:
quippe parua ea dilatione iacturam prorsus
nullam, feſtinatione autem magnam ipſe
fieri poſſe cernebat, primùm enim, quod re-
liquum diei erat, uix ad deducendum è ca-
ſtris militem, atq; inſtruendum ſatis eſſe pu-
tabat: deinde interueniente nocte ueritus
Barbarorum inſidias, quibus compertum ha-
bebat maximè Afros ualere, tantam rem ge-
ri, fortunæq́; arbitrio committi nolebat: cum
illi locorum periti, noſtri autem ignari pror-
ſus eſſent. Quamobrem ne quid committeret,
cuius fruſtra poſtea magna exiſtimationis ia-
ctura pœniteret, ijs præceptis egregios illos ui
ros miſſos fecit, ut poſtridie ante lucem mili-
tes, qui inuaſuri urbem erant, ad tormenta

ænea, quibus adhuc à terræ parte murus, turrisq́; feriebatur, in æquum locum deducerentur, ibi ad præscriptum, quod pridie ipse dederat, instruerentur. se in tempus illuc affuturum, ac quid facto opus esset, maturè prouisurum esse. Eodem die uesperi consilium de inuadendæ urbis ordine, ac tempore initum Andreæ Auriæ impertijt: quod ille uehementer probauit, & ut ea res faustè, feliciter, prosperéq́; Cæsari, ac reipub. Christianæ eueniret, precatus est. Eadem nocte non prius somnum cepit, quàm dispositas custodias uiseret, castra circumiret, aggeres, & tormenta perspiceret, omnia diligentissimè exploraret, ac specularetur. Postero die cum benè mane surrexisset, suo usus instituto rei diuinæ, quam rite fieri iusserat, supplex interfuit, in qua suam, & exercitus, & Christiani nominis salutem, etiam Cæsaris existimationem Deo Opt. Max. com-

mendauit; & prosperum rerum euentum ad sempiternam illius gloriam efficaciter precatus est: mox continuò admotum conscendit equum, & castrorum munitiones, aggeres, stationes, dispositasq; in ijs militum custodias, ac tormenta perspexit: & quod in ijs prospiciendum, prouidendumq; fuit, maturè, & quamdiligentissimè prouidit: deinde ad tormenta superiora, quibus iam inde à principio urbis mœnia pulsabantur, se contulit. iuxta ea tabernaculum eo die poni iusserat, & primum omnium, ut se haberent, & quid operis in deijciendo effecissent, perspexit: deinde ad inferiora tormenta euestigio aduolauit; & quid ibi agi uellet, præfectos edocuit: inde ad axercitum urbem aggressurum, qui proximè erat, processit: quem ad præscriptum, quod ipse dederat, instructum inuenit; atque omnes aduentu suo lætitia extulit: cum

illum alacrem conſpicerent, atq; ex uul-
tu eius interrito certam uictoriæ ſpem augu-
rarentur. inde ad mare Bucaro, Alfonſo Co
ua, & Hieroſolymitanæ claſſis præfecto,
alijsq; ducibus, & claris uiris comitantibus,
peruenit: ac quid à parte maris à tormentis
in machina collocatis perfectum eſſet, non ſi-
ne maxima uoluptate contemplatus eſt; ani-
maduertit enim tantum muri deiectum, ac ſo
lo æquatum eſſe, præterq; quòd tantundem
diu quaſſatum ruinam minabatur, ut cum ui
deret ad magnas copias excipiendas patere
aditum, opportunum iam inuadendæ urbis
tempus exiſtimaret. Quamobrem ad taber-
naculum cum ijs reuerſus uoluit milites, ut
firmiores eſſent, cibum capere: idq; ut face-
rent, pronuntiare duces iubet. Ipſe quoq;
ſtans nullo ferè apparatu cibum cum Principi
bus illis uiris cepit. paulo poſt caſtra, agge-
res, munitionesq; omneis, & tormenta equo

uectus reuisit; instructosq́; milites recognoscit. mox superiora repetens tormenta, quibus eorum curam antea mandarat, diligenter monuit, ut cum primum miles dato signo ad aggrediendũ oppidũ concurreret, & oppidani, turcæq́; tormenta iã quietura existimantes se defendẽdæ urbis causa in ruinis murorũ ostenderent, tunc illos tormentorum displosionibus incautos ferirent: & ut ex sententia res eueniret, peritos eius rei uiros ijs præposuit, ijsq́; duodecim milites ex ijs, qui extra ordinem militabant in singula tormeuta assignauit, ut mutari illa, & instrui prout ratio, usus q́; postularet, illorum auxilio, atq; ope commodius poßent: militibus ad illorum custodiam, præsidiumq́; antea præpositis, quibus Ferdinandus Sylua, Petrus Acunea, *&* Paganus *præerant, ad inferiora transire iussis. Ipse interim tabernaculum ingreßus munimentum corporis sumpsit, & ad instructas acies pro-*

cessit. Sed ante quàm aggrediendi signum daret, suas partes esse duxit aliquid ad cohortandos milites dicere: potius ut magnorum Ducum morem seruaret, quàm quòd ueteranos illos, strenuosq; milites summo pugnandi desiderio inuadendi signum expectantes oratione egere existimaret, & apud eos in hanc ferè sententiam locutus est. Compertum habeo milites uirtutem uestram tot bellis à Cæsare gestis perspectam, tantam esse, ut nihil arduum uobis, aut difficile, aut inuium iure optimo arbitrer: & propterea ausus sum tantam prouinciam uobiscum capere, haud dubiam spem habens uobis paucis, at strenuis, at fortibus, at belli gloria præclaris uiris me munitissimam hanc urbem expugnaturum; tantæq; uictoriæ compotem futurum esse. Quamobrem non hic uirtutis uestræ laudes, non præmia ab ipso Cæsare uobis accepta, non quæ fortiter pugnando me-

ruistis ornamenta commemorabo: cum exploratum nobis sit, uos non illis magis, quàm ingenij bonitate, & strenuè agendi consuetudine ad uirtutem excitari. Sed dicam, & quidem paucis, quæ commoda Christianæ Reip. hac parta per nos uictoria sint futura: quantum decus ad Cæsaris imperium, quod propagari maxime uolumus, & studemus, accessurum sit; quàm gratum denique, quàmq; acceptum Deo Opt. Max. habendum, quòd firmissima ueræ pietatis, diuiniq; cultus fundamenta per nos hac in prouincia iacta sint. Meministis enim milites his proximis annis ita hoc mare inferum prædonibus refertum, ut præter negotiatores quamplurimos, qui nauibus, mercibusq;, & uita spoliati sunt, multæ Italiæ Vrbes, multaq; prouinciæ Siciliæ, Sardiniæ, Balearium, cæterarumq; insularum maritima loca capta, ac miserè direpta sint, & Cæsaris classis pa-

rum proficeret, cum hoc potissimum, atq; alia Africæ oppida illi haberent, quo se tutò recipiebant. Expugnata igitur hac urbe, & è Dragutis illorum principis, sed crudelis tyranni manibus extorta, iam uestra uirtute liberari Italiam, explicari Siciliam undiq; periculis cinctam, & quicquid in infero mari omnibus piratarum iniurijs maximè obnoxium in optimum restitui statum uidetis: receptu enim illis per nos sublato, uel liberum hoc mare relinquant, oportet, uel non magno admodum negotio captiui nostris classibus omnes ducantur; atq; in miseram seruitutem redigantur. Hac uictoria parta milites, tantóq; propugnaculo uestra industria expugnato, facilè Cæsar totius Africæ imperium obtinebit; tantamq; ditionis suæ, uel potius nostræ propagationem uirtuti tantum uestræ acceptam referet. Hac capta Vrbe milites, coloniáq; Christianorum illò deducta, & pro

fanis Mahometis ædibus Christiano ritu consecratis, atq; unius, & trini Dei cultui dedicatis, quantum Cæsariani imperij fines proferentur, tantum Christiana religio, ueraq; pietas augebitur. Ex quo non humana uos modò, sed cœlestia illa, quæ non humanæ capit coniectura mentis, manent præmia. Non est milites, quòd incommoda hic commemorem, quæ cunctis futura essent, si hinc re infecta (quod Deus auertat) disscederemus: propterea quòd uirtute uestra confisi non nisi certam uictoriam animo complectimur. ex qua, præterquàm quod nomen uestrum commendabitur immortalitati, maximis etiam diuitijs, & fortunis, quibus Aphrodisium refertum est, locupletissimi omnes fietis. Hæc locutus incitatis antea sua sponte militibus, deinde uehementer oratione inflammatis, signũ continuò dedit: qui maximè alacres Christi seruatoris nostri, diuiq; Iacobi inuocato no-

mine (ut Hispani milites prælium ineuntes semper facere consueuerunt) urbem uersus quadrato agmine contendunt. Iam prima & altera acies à terræ parte inuasuræ urbẽ ad pomœrium, murumq; anteriorem tormentis stratum peruenerant, subireq; parabant; ut utraque præscriptum alterius muri locum peteret, eaq; in urbem irrueret; cum turcæ, qui in portæ statione uersabantur (quorum fortissimus Halis princeps erat) à quo, cum inuadendi tempus instare uideret, ad Mahometis sectam tuendam, ad Draguti magno duci, liberaliq; fidem seruandam, ad opinionem, existimationemq; uirtute antehac partam retinendam oratione cohortati, inflammatiq; fuerant, in duas partes diuisi, à dextra, leuaq; nostros aditu prohibere conantur: cumq; nostri contra obniterentur, ibi acriter utrinque pugnatum; multiq; utrinque, sed ex illis plures ceciderunt. In ea pugna

Halis illorum præfectus fortiter pugnans mortem occubuit; &, quod ipse euentu= rum prædixerat, urbem scilicet, dum ipse uiueret, non capiendam, euenit: Tandem hinc, & illinc turcæ ad portam usque uali= dis munitionibus ab ipsis firmatam reiecti sunt, nostriq; ad loca, quæ petebant, per= ueniunt, summaq; ui aggrediuntur. Sed prima acies quanquam in eam muri, turrisq; partem, quæ principio non uerberata solùm, sed etiam foris deiecta (quam ueterem mili= tes uerberationem appellabant) audacter euasit: tamen propter muri altitudinem, fos sas, & stipites in terram defixos, & taleas ferreis hamis infixas, aliasq; munitiones, quibus eam partem firmatam ostendimus, ingredi haudquaq; potuit. Ibi Gaspar Gus= manus, qui unà cum Amatore, eiusq; signi= fero, cui Richelmus nomen erat, alysq; pau= cis irruere tentauit, glandis ictu alterum

penè brachium amisit, Richelmus autem uir strenuus, fortisq; cecidit, cæteri omnes reiecti sunt. Altera acies, quæ in alteram partem secundo loco pulsari cœptam, quam diuersam à superiore nouam nuncupabant, impetum fecerat, turrim, quam partim euersam tormentis diximus, nonnullis turcis, & oppidanis, qui eam defendebant, trucidatis, quamprimum cepit. sed à posteriore eius turris parte hostes, quà erat transitus in murum, quem mare abluit, disturbarunt; ut si forte nostri ea turri potirentur, eà in commissum illi murum transeundi, atq; inde in urbem ingrediendi potestas auferretur: posuerant tamen longissimum, sed angustum in ea parte tignum, quà ipsi ad illius loci defensionem transibant: atq; id magno fune eo nomine colligarant, ut cum nostri illac irrumperent, facilè illud in urbem eo adminiculo subtraherent. sed impetu nostrorum militũ

ita oppreſſi sunt, ut illius auferendi facultas ipſis prorſus eriperetur; & eà circiter quinquaginta ex noſtris ingredcrentur: quorum pleriq; diui Ioannis Hieroſolymitani milites erant: ſed primus omnium Ferdinandus Toletus Trib. militum animi præſtantia, corporisq; robore uir inſignis. reliqui omnes conuerſis ſignis tertiam ſecuti ſunt aciem: quæ quanq; Ferdinandum Lupum tribunum ſuum uix ex aggeribus egreſſa, quòd Sclopetti ictu ſauciatus fuerat, amiſit: tamen nihil eo remorata, nec quòd per medios fluctus ſibi ad oppidum perueniendum erat, aquam audacter ingreſſa, à qua propter uada, & inæquabilem locorum uarietatem hic ab humeris, illic à pectore, alibi à ſummis tantum fœnoribus extabat, omneis difficultates ſuperauit: ac per muri ruinas machinæ tormentis deiecti, hoſtibus prius, qui illuc ut noſtros aditu prohiberent, concurrerant, magno

facto impetu reiectis irruit. Sed inter eas muri ruinas, & urbis tecta paruo distantia interuallo instructi oppidani constiterant, qui & repulsos suos redire in prælium iußere, & impetum nostrorum eo excepere animo, ut cum in una uirtute omnem salutis spem consistere arbitrarentur, pro nudata mœnibus patria corpora opponerent, ac fortissime præliarentur: ut nostri intelligerent, réq; ipsa experirentur sibi cum fortibus uiris negotiũ habendum: quorum nemo nec pedem referebat, nec nisi cum uita telum relinquebat: etenim cum hinc spes, illinc desperatio animos irritaret, nostri omni ui capere, illi defendere urbem nitebantur: & quo acrius, & magis confertim pugnabatur, eò plures sauciabantur. sed iusta belli suscepti causa, & Cæsaris, Vegǽq; felicitas, & summa militum nostrorum uirtus tandem effecit, ut nostri superiores essent. præsertim quòd milites, quos

quos ad inferiora tormenta in subsidijs positos supra memorauimus, iussi à Prorege duce Garsia certantibus nostris auxilio proficisci opportunè illuc peruenere, suoq́; aduentu nostris animum auxere. attamen non prius ibi finis pugnadi fuit, quàm omnes ferè barbari, qui se irrũpentibus nostris opposuerant, internicioni darentur; ità obstinatis animis pugnauere. sed non pauci ex nostris quoq; desiderati; quamplurimi uulnerati sunt. Tunc nostri, ut uictoria uterentur, diuisi sunt: plerique enim à læua parte uicum, qui ad forum ducit ingressi hi è turribus sclopettorum, & corneorum arcuum ictibus uexabantur, uulneraq́; multi accipiebant: præterq̃; quòd oppidani ijs passim resistebant, atq; ita obstinatè, ut liquidò appareret, captæ ab hostibus patriæ eos superstites esse nolle: nam audacter hi falcatis ensibus, illi hastis; nonnulli, cum tela non haberent, lapidibus præ-

liabantur; cæciq; furore in enses, telaq; no strorum militum irruebant, & uictoriam re morari pro uirili quisque parte nitebantur. in eo uico Ferdinandus Toletus Trib. militum grauiter uulneratus paucis post diebus interijt. Melchior Sumarraga Centurio interfectus fuit. utebantur tamen nostri uictoria obuios oppidanos passim cædentes. Interea ex ijs, qui à dextra parte præter murum, quà nostris aditus patuit, progredi cœperunt, nonnulli per scalam, quam muro admotam inuenere, ad hostes in eo ad nostros prætergradientes paruis tormentis, lapidibusq; infestandos positos subire conabantur: ut uel captiuos illos ducerent, uel inde ui summouerent: qui quidem tametsi in murum euasere, atq; inde hostium fugam fecere: deinde illos captiuos duxere: tamen non prius id assecuti sunt, quàm acriter cum ijs præliati essent. sed qui pri mus omnium per eam scalam

in murum euasit, pulchriq; illius facinoris auctor fuit, Petri Acuneæ Centurionis Signifer erat iuuenis strenuus, manuq; promptus, cui Bartholomæus Peresius sumelsus nomen est, qui tametsi in subsidijs ad inferiora tormenta cum cæteris relictus fuerat, ut illis in hostes in muro eminentes explosis continuò prægressos milites nostros, urbemq; à parte maris aggressos consequerentur, uictoriamq; pro parte sua adiuuarent: tamen ubi is cum reliquis duce Garsia ad nostros fortiter cum hostibus dimicanteis peruenit, & in illis pro fligandis, cædendisq; strenuam operam nauauit, ad dextram conuersus, cum ab oppidanis in summis mœnibus uersantibus, lapidesq;, & tela missilia in nostros confertos haud frustrà iacientibus maximum ijs detrimentum afferri uideret, cohortatus ad ascen sum nostros, qui se iam ab imminenti periculo subducere cœperant, cum diceret uictoriam

in manu esse, infesto signo quòd nigri coloris erat, paucis sequentibus subire tentauit, & ad resistentes hostes, atq; deijcere ipsum conantes audacter, ac fortiter pugnando peruenit, & quod maximè cupiebat, ut inde hostes reijceret, assecutus est; primusq́; ab ea parte uexillo in mœnibus constituto circumfusis triremibus capti à nostris oppidi signum dedit, atq; Andream Auriam*, reliquosq́; earum præfectos ad parandam ex hostibus uictoriam incitauit: qui non missis modò actuarijs nauibus, scaphisq́; cum ijs militibus, quos ex* Italia *aduexerant, sed etiam ipsi cum ijs profecti, quanquam illorum pleriq; in oppugnatione urbis erant, bonam strenuamq́; operam uincẽtibus nostris præstiterũt.* Sed *ut ad signiferum redeamus, cum oppidani tantam illius, & paucorum audaciam, uirtutemq́; admirati crederent reliquos in murum euasuros, præsertim quòd signifer tanq̃; explorata,*

certáq; uictoria illos ad sequendum uocabat, terga statim uertunt, & fuga saluti suæ consulere student: sed postea à nostris insequentibus nõ longè à portu, naualibusq; capiuntur: Quæ quidem à nonnullis militibus nostris oppugnabantur, & ab aliquot oppidanis cum fœminis amplius quinquaginta lapidibus defendebantur, & eiusdem signiferi interuentu deditione statim facta in nostrorum potestatem uenere, & omnes ferè, qui ibi inuenti sunt, captiui ducti. Nec in ea parte solum, sed in omnibus urbis uicis, locisq; uehementissimè ab omnibus certatum: etiam à mulieribus, quæ è fenestris, locisq; superioribus ædium saxa in nostros conijciebant; &, quoquo modo poterant, aduersabantur. Cũ iam ad Mahometis ædem uictores milites nostri peruenissent, negotiumq; iam confectum esse putarent; ecce subito è foro illi proximo non parua oppidanorum, & nonnullorum

turcarum bene instructa acies, atq; equitum quanq; paucorum alis firmata uelut in patenti campo pugnatura in nostros impetum fecit, & ita prælium redintegrauit; ut cum illi recentes, nostri autem defessi essent, maximum ijs terrorem inijcerent. Sed nostris ubiq; uincere assuetis cum obuersaretur ante oculos ingens dedecus, quod admissuri essent, si pedem referre uiderentur, præsertim tota penè iam capta urbe, euestigiò omnes se colligunt, & alius alium cohortando irruentium hostium in se impetum excipiunt; atq; acerrimè cum ijs præliantur. cum utriq; alteros pellere niterentur, diu anceps certamen fuit. tandem nostris, quòd fortius, quàm putarant, restitere, creuerunt animi: barbari, quòd defessos integri non expulere, se iam uictos censuerunt: præliabantur tamen; sed nostri ui, atq; impressione in illos facta trepidanteis iam exturbant, fun=

dunt, fugantq́; & fusos, ac fugatos perse=quuntur; cum pauci ex nostris, multi ex illis cæsi, sauciatiq́; fuissent. Ex *fugientibus magnus numerus captus; reliqui ad munitas turres confugerunt: sed paulo post nostris oppugnantibus se dediderunt.* Tunc *om=nes ad prædam uersi captam* Vrbem *diri=piunt.* Illud *summa admiratione dignum fuit, quòd & si nostri* Vrbe *iam potie=bantur;* Turcæ *tamen, &* Afri *mer=cede conducti, qui cum ijs in turribus ad castra spectantibus uersabantur, sagittas arcubus, & glandes sclopettis adhuc in nostros emittebant, displodebantq́;: nec pu=gnæ finem fecere; quousq; uniuersam* Vr=*bem in* Christianorum *potestatem redactam uidere.* Tunc, *cum se nihil proficere animad uerterent, per* Scyriffum, *quem aduocarant,* Vegæ *nuntiant ipsi dedere se uelle.* Ad *eos* Vega *primo* Bucarum Tunetis *regis filium*

misit; qui illos suo nomine in deditionem acciperet: sed ad eum pauci egressi sunt; credo, quòd cum Afer esset, paruam illi fidem habebant: Deinde Alfonsus Coua illò profectus, cum insigne, quod illius ordinis milites ferre solent, illis signum, quòd à Vega in deditionem acciperentur, dedisset, omnes ad eum descenderunt; qui circiter ducenti, & uiginti erant; atq; ad Vegam perducti sunt: qui tunc equo uectus in tanta rerum felicitate non sui, pietatisq; Christianæ oblitus nauabat operam, ut saucij quamdiligentissime curarentur. Illud summæ humanitatis, pietatisq; signũ fuit, & factum certè Christiano Principe dignum: nam cum inter cæteros, qui grauiter uulnerati fuerant, religionis Hierosolymitanæ militem sub muro iacentem animaduertisset, honestum quidem iuuenem, genere, factisq; præclarum Vilioam nomine, qui eo die fortissimè dimicarat; nec ibi tunc adesset,

qui illum ad hoſpitales ædes perferre poßent, cum omnes ferè urbis direptioni intēti eßent: & ſi neceße illi erat multa in tempore pro=uidere; & propterea ultro, citróq; ; surſum, ac deorſum currere; nec ob maximos illius re gionis æſtus, solisq; ardores pedibus ire pote=rat: tamen ex equo ſtatim deſilijt, imponiq; illi uulneratum militem, & ad domum, ubi commodè curari poſſet, deduci quamprimum iuſſit. Isa conſanguinitate Draguti coniun=ctus, qui ſummæ rerum præfuerat, ad tur=rimq; munitiſſimam fruſtrà confugerat, in ipſius poteſtatem, ut ratio poſtulabat, ue=nit; & militibus, quibus ille se dediderat, ip=ſe abunde ſatisfecit: Hunc Antonio Cicalæ dedit eo conſilio cuſtodiendum, ut, quoniam eius filius in Dragutis poteſtate erat, illum ea permutatione recuperaret. cæteros capti=uos ferè omneis inter duces, etiam milites, & domeſticos, qui urbem non intrarant,

partitus est: ut qui & castrorum, & tormentorum præsidio relicti fuerant, prædæ non essent expertes: quæ non magna admodum fuit, quòd pleriq; in prælio ceciderant; multi natando nostrorum manus effugerant; & ab Azeno primùm rege, deinde Asa Gerbino pirata; postremò ab ipso Dragute urbs direpta penè fuerat. Quarto & septuagesimo die, quàm obsidere cœptum, Aphrodisium captum est quarto idus Septembris anno à Virginis partu. M. D. L. Ex nostris in obsidione quamplurimi; in oppugnatione non admodum multi, sed clari uiri perierunt: qui ordines ducebant, præter eos, quos commemorauimus, Saiauedra, & Belcazar, tres Morerolæ fratres, quorum primus trecentis militibus imperabat; alter uexillifer erat; tertius inter milites relatus fuerat. Hic res permira profectò accidit, cum fortè ex ijs, qui uexillum in hostem ferebat, tormenti ho-

stilis ictu cecidisset, frater miles nihil fratris casu deterritus, illo ex demortui manu confestim sumpto audacter progreditur, qui itidem paulo post occiditur. maximus igitur natu frater, cum fratres, atq; unà signum collapsum uidet, illud euestigiò alta manu tollit, atq; itidem in hostes infert: sed sors iniqua, ac crudelis hunc quoq; grauiter uulneratum paucis post diebus tollit è medio: tresq; fratres fortissimos uiros pro salute Reip. conseruanda, pro Cæsaris regis sui imperio propagando, & Christiana religione augenda fortiter præliantes læto dedit. Signiferi præterea septem ictibus hostium interiere: quos inter Sedegnus diui Ioannis miles, & Aluari Vegæ uexillifer strenuus: cum præsenti animo uexillum in muro statuisset, grauissimè uulneratus fuit, & non multo interiecto tempore migrauit è uita. ex cæteris Hierosolymitanis militibus amplius uiginti in

ea oppugnatione desiderati; multi ex prælio sauciati abierunt: quorum pleriq; diem postea suum obiere. Posteaquàm Prorex ut mortui sepulturæ darentur, & qui sauciati fuerant, omni adhibita diligentia curarentur, prouidit, urbem iam captam, ac direptam ingressus est; & illius munitiones non sine maxima admiratione perspiciens, tunc denuo gratias Clementissimo Deo ingentes tum egit, tum habuit, atq; uehementius soli illi tantam uictoriam acceptam retulit: nam ita eam urbem munitam inuenit, ut nisi ea temporis opportunitate fuisset capta; quemadmodum nũquam antea, sic nec unquam postea fuisset capienda: etenim si hostes muniendi, fossæq; tantum ab interiore urbis parte, quæ à mari nouissimè quassari, atq; inuadi cœpta, ducendæ spatium habuissent, non erat, quamobrem nostri uictoriam assequendi spem acciperent: propterea quòd Vegæ munitior uisa est,

quàm ut ulla hominum industria, aut ullo quanuis magno exercitu illam fuiße expugnandam putaret. Quamobrem dum nihil laudis, nec uigilantiæ, industriæq; suæ, nec militum labori, uirtutiq; tribuendum censet; sed ad Deum *tantummodo auctorem immensam tanti negotij confecti gloriam refert, se talem eße ostendit, ut omnes ipsius curas, cogitationes, singulasq; actiones, & opera ille assiduè dirigat, ac summa cum laude perficiat. Quare iure optimo in primis curauit, ut* Christiani *quamplurimi, qui antea in seruitutem per* Barbaros *abstracti tetro adhuc carcere coercebantur, in libertatem assererentur: etenim misit continuò, qui carceris ualuas effringerent, miseraq; seruitute illos liberarent. Erant ibi inter cæteros pueri complures: erant mulieres, & nonnulli sacerdotes; quos omneis non solum emitti, sed etiam ad suos intactos, & incolumes remitti uoluit:*

magnum autem carceris uectem, claustrumq; ad se afferri mandauit: iam cogitans urbis à se captæ spolia ad Pontificem Dei in terris Vicarium Romam mittere; atq; ea per illum diuino nomini consecrare: ut qui uictoriam concesserat, uictoriæ spolys in templo suspensis frueretur. Itaq;, & signa hostibus per uim adempta, corneos turcarum arcus, sagittasq;, & falcatos enses; Leones præterea, ac per pulchros Equos in eam rem secerni iussit; ut suo postea tempore perficeret, quod omnibus Christianis Principibus, qui uictoriam ex Christi hostibus consequerentur, maximo foret documento. Curauit prætera, ut prophana Mahometis ædes, quæ ibi perpulchra erat, in Christianæ religionis usum conuerteretur; ibiq; Christiano ritu res diuina quotidie fieret. Itaq; ab idoneis sacerdotibus, quos apud se habebat, consecrata: diuiq; Ioannis nomen illi ipsius permissu, atq; iussu inditum

fuit. non ea tantum causa, quòd Ioannes illi prænomen esset; sed etiam, quòd Afri diuum Ioannem uehementer colere, atq; uenerari uidentur: ut ea re forte allecti Christianum dogma sectari inducerent animum; & Christianorum in numerum adscriberentur. Prouidit insuper, quibus locis militum custodiæ disponerentur, uigiliæq; fierent: ut loca mœnium ruinis exaggerata purgarentur, ac partes, quæ disturbatæ tormentis fuerant, quoquomodo poßent, repararentur: ut, si qua externa uis, quod fieri poterat, orta esset, ea facilè reprimi posset. quanquam ijs munitionibus, ut tunc erant, ita confidebat, præsertim tali præsidio firmatis, ut totius Orientis opes, uiresq; non formidaret. Cæpit etiam, quoniam magna laxitas urbis erat, de ea minuenda cogitare: ut & munitior illa fieret, & militum manu non admodum magna custodiri poßet: ex illius enim collis, in

quo castra communierant, propinquitate, ab hostibus, qui eum locum tenerent, multis affici incommodis poterat: quæ ut deuitanda essent, si usu ueniret, ueteres urbis munitiones, domosq́; & priuata ædificia ad ædẽ usque, quæ media ferè urbe est, disturbanda, & inde nouis mœnibus, turribusq́; & propugnaculis illam muniendam censuit. Et si re ad consilium relata, erant nonnulli, qui in alia omnia discedebant, quòd existimarent Carolum Cæsarem compendij loco maximum nouis illis munitionibus sumptum facturum: tamen edocti illi sunt, multo plus in stipendia militum, quibus tantus Vrbis ambitus defendendus esset; quàm in noua illa mœnia, propugnaculaq́; impensum iri. Quamobrem Prato nobili architecto, quem suæ assentiri sententiæ perspiciebat; cuius etiam opera in ædificijs construendis, ac locis, urbibusq́; muniendis assiduè utitur, negotium dedit, ut

eius

eius formam exprimeret, eamq́; rectè ad architecturæ leges expreßam ad Cæsarem ipse mittendam curaret: ut ex ea ille quale ædificium futurum esset, cognosceret, & quod fieri uellet, posthac mandaret. Formam igitur *futuræ munitionis urbis ex sententia expreßam, & illius captæ nuntium ad Cæsarē in Germaniam per* Ioannem Osorium Quinnionium *affinem suum perferendum curauit.* Huic *quoq; ad sũmum* Pont. *Iulium eius nominis* Tertium *dedit literas: quibus illum de expugnato itidem* Aphrodisio *certiorē faciebat: putabat enim (nec decipiebatur) illum æquè atq; ipsũ* Cæsarem *eo nuntio lætaturum: cum exploratũ haberet, tantæ integritatis, & sanctimoniæ uirum eße, ut* Cæsaris *dignitatem, opesq́;, quas ad publicā omniũ utilitatē paratas, atq; expositas animaduertit, augeri; christianam autē remp. quam ipse omni cura, atq; uigilantia cum illo gerit, & saluam studet,*

omni metu, & solicitudine liberari uelit: quod expugnato hoc oppido, atq; ex immanium barbarorum manibus extorto, contingere uideat. Misit etiam, qui Prouinciæ Siciliæ eam uictoriam significaret: quoniam ea re bene gesta cum nulla alia præclarius actum est: Et nuntio tam iucundo, tamq; omnibus expectato tantam ipsa lætitiam præsetulit, ut in singulis eius urbibus, oppidis, pagis, locisq; per supplicationes confestim decretas, solenniaq; sacrificia rite facta immortali Deo gratiæ innumerabiles actæ; ac per ignes triuijs, quatriuijsq; & areis, & compitis editos, & funalia innumera in summis turribus, domibusq; undiq; collocata, & accensa nihil iucundius uniuersæ prouinciæ accidere potuisse declaratum sit. Non est hic silentio prætereundum, quòd post eius urbis expugnationem Vega permisit Auriam, ut antea solitus fuerat magna secum potestate uti,

ut ostenderet se tantisper summæ rerum solum præesse uoluisse, dum rei bene gerendæ facultas, quàm adesse cernebat, non impediretur: nam tametsi multum Auriæ semper tribuit, eumq; æquè, ac patrem habere studuit: tamen cum ipse rei militaris peritus, uideret, dum negotij conficiendi tempus esset, illum à se pessimo publico dissentire, noluit committere, ut illius magis, quàm Cæsaris rationem haberet: & cum primum id quod cogitarat, summa cum laude executus est, suoq; in Cæsarem, & Christianam Rempub. officio satisfecit; summum imperium, quod sibi iustis de causis præsenti animo sumpserat, comiter, humaneq; deposuit; uel uerius commune sibi, ut antea, cum ipso Principe esse uoluit. Illud quoq; haud nobis omittendum putauimus, quod tum ad Vegæ in rebus bellicis felicitatem demonstrandam, tum ad eam uictoriam facilius obtinendam

pertinere arbitrati sumus: is enim perpulchram in castris habebat ceruam cicurem quidem, ac tractatu facilem: quæ aggressionis die ut primum heri uocem, & tubæ signũ audiuit, ante instructos, armatosq; milites nostros oppidum uersus oppugnandi gratia cõtendentes, magnis saltibus petere urbem cœpit: ac non armorum sonitu, non militum uocibus, non ascensu per muri ruinas difficili remorata; non tormentorum æneorum bombis, non parata in muris ad defendendum turcarum, oppidanorumq; armatorum multitudine deterrita, urbem intrepida antequam nostri ad mœnia peruenirent, ingressa est, certamq; omnibus uictoriæ spem dedit: etenim cum primum milites nostri ceruam animal natura ignauum, nulla timoris significatione facta, sed summa potius cum audacia in oppidum introiuisse perspexerunt; & si ipsi fortes per se aut potiri oppido, aut forti-

ter pugnando pulchrè mori omnes decreuerant; tamen ceruæ exemplo alacriores, fortioresq; facti, uictoriam ex hostibus euersa, expugnataq; urbe adepti sunt. Itaq; non modò milites, qui se dignos tanto duce usquequaq; eo in bello præstiterunt, sed etiam rationis expertia, timidaq; animalia naturæ suæ prorsus oblita magni, inuictiq; animi exemplũ præbuere. Quod quidem Ducis Vegæ felicitati duntaxat adscribendũ censemus: nã cũ nihil eorum, quæ ad solertissimum, atq; optimũ quenq; Imperatorem spectant, ullo loco prætermittat, omnia etiam, quæ fieri nõ posse uidentur, quamfelicissime illi eueniunt. Quãob rẽ pulchrè dicebat græcus ille Chabrias malle se ceruorũ exercitũ duce leone, quàm leonũ duce ceruo: cum ille milites ferè omnes in sui ducis naturam, moresq; formare se niti, atq; ipsorum fortunam cũ duce uel stare, uel cadere nõ ignoraret. Quod autẽ ad ceruam attinet,

etiam egregius ille dux Sertorius albam ceruam per asperos Lusitaniæ colles secum trahebat, à qua admoneri se, quæ aut agenda, aut uitanda essent, simulata religione prædicabat; militesq; non inuitos ad omnia militaria munia obeunda habebat. quanquam sunt, qui dicant illum re uera ceruam rerum gerendarum indicem habuisse: & solicitum aliquando, ac tristem fuisse, quòd ceruam, cum nusquam appareret, amissam crediderat: qua postea demum conspecta, magnæ spei plenum suos in aciem eduxisse. Sed quam Vega nec ob superstitionem, nec aliã ob causã in castris habebat, nisi quòd dono illi ex Sicilia à suauissima Isabella filia missa fuerat, non illius unquam auctoritatem, quæ nulla re simulata amplissima per se semper extitit, apud milites auxit; & felicis illius certaminis causa fuit: quo munitissimum illud oppidum captum est; quod Cæsari imperium

propagauit; otium, ac securitatem Reipub. Christianæ peperit; ipsum autem Vegam tantæ uictoriæ compotem æternitate donauit. Quid autem denique ceruæ illi contigisset, scire nunquam potuimus: & si fuerunt nonnulli, qui illam à barbaris uulneribus statim confossam dicerent; tamen ex ipso Vega cognouimus diligentissimè ipsius mandato post expugnatum oppidum conquisitam, ac nusquam inuentam fuisse.

HORATII NVCVLAE INTERAMNATIS COMMENTARIORVM DE BELLO APHRODISIENSI

LIBER QVINTVS

CAPTO Aphrodiſio tantus non finitimis modò barbaris, sed uniuerſæ etiam Libyæ populis terror iniectus, ut ferè omnes exanimarentur; ac de se prorſus actũ eſſe cogitarent: propterea quòd ex eductis urna sortibus, quibus maximam fidem barbari adhibent, uaticinationibus, & coniectorum, aruſpicumq́; reſponſis ſibi perſuaſerant, totam Africam in Chriſtianorum poteſtatem uenturam, cum primum id oppidum ab ijs

expugnatum uiderent. qnod nunq; ipsi futurum crediderant, preſertim quòd se à maioribus ſuis accepiſſe dicerent, illud à ſummis, egregijsq́; Ducibus magnis exercitibus instructis fruſtrà ſemper tentatum; & cæteris omiſſis memoria repetebant Alfonſum Aragonium Neapolitanorum Regem poſt uictoriam illam apud Meningem Tunetano Rege ſuperato, atq; uectigali facto partam, iniſſe conſilium obſidendi, capiendiq́; Aphrodiſiũ: sed diligenter eius urbis ſitu, mœnibus, propugnaculisq́; perſpectis de oppidi tam egregiè muniti expugnatione deſperaſſe; ac nonnullis tantum, quas ibi deprehenderat, incenſis nauibus re infecta Neapolim reuersũ eſſe. Quamobrem maturè factum eſt, ut multi ex captiuis poſthabito, abiuratoq́; Mahomete, ac secta eius prorsus relicta in Chriſtianorũ numerum per ſacerdotes noſtros rite adſcriberentur. Eſt adhuc in Proregis familia seruus

Aphrodisij natus, qui sacris Mahometanæ sectæ initiatus illorum curam cum alijs sacerdotibus in Aphrodisiensi æde aliquandiu gesserat. Mox cum quorundam turcarum instigatione omissa sacrorum cura piraticam faceret, ac prope Siciliam nauigaret, orta subito tempestate in littus non longe à Lilybeo fracta naui cum socijs eiectus in potestatem Hispani Ducis barbati nomine, cui tutela eius tractus mandata fuerat, peruenit, missusq; ab illo Proregi dono fuit. Hunc ego dum Aphrodisium à nostris oppugnabatur, memini ioco se principio dicere, se cum id oppidum caperetur in Christianum dogma transire uelle: putabat enim nunq; futurum, ut ea nostri uictoria potirentur. cum autem postea animaduertit oppidum captum, ac direptum à nostris esse, illud iam in religionem uertens, quod per iocum antea pollicitus fuerat, re ipsa postea haud inuitus præstitit, atq; inter

Christianos referri quamprimum uoluit. Itaq; qui Halis antehac omnibus appellabatur, Christiano statim ritu Ioannis nomen libenter subijt, & nunc Christianam pietatem cum plerisq; conseruis ipsius exemplum secutis, castè, & religiosè colit. sed ut ad propositum redeamus, eodem tẽpore Ioannes Vega, cui iampridem in optatis erat, ut aduersus Dragutem ad insulam Meningem classe nauigaretur; atq; una æstate duo magna facinora Deo, hominibusq́; gratissima fierent: misit continuò, qui Principem Auriam alloqueretur suo nomine, ut relictis nonnullis triremibus, quibus iuuantibus reparari oppidũ, & de rebus illi necessarijs prouideri posset; etiam parte exercitus, cuius præsidio ab omni hostium ui tutum esset; reliqua classe ad eam insulam contenderet; tum ut Dragutem penitus deleret: tum ut illam insulam Cæsaris imperio subijceret; tum etiam tributum ex

fœdere olim cum Vgone Moncada Siciliæ Prorege icto debitum pendere cogeret: quod quidem nec illius insulæ præfecti; nec illius oppida, populiq; seruarant. Eodem officio functus est Alfonsus Coua missus à Cæsare ad Vegam, Auriamq; (ut supra demonstrauimus) ut de rebus ad id bellum maxime spectantibus cum ijs ageret; inde ad arcem Gulettam, ut ei præesset; quòd ab illo in demortui Ludouici Peresij locum suffectus fuerat, nauigaret. Sed Auria cum non idoneum nauigandi tempus excusaret, nonnullasq; alias rationes, quæ in utramq; partem intelligi poterant, afferret, profectione supersedit, quousq; serui quidam græci fractis catenis ex Lotophagite aufugerant, Aphrodisiumq; ad Ioãnem Vegam, ipsumq; Auriã peruenerant: à quibus de Dragute, ac de omni illius insulæ statu cognitum fuit. Illi enim nuntiarũt: Othomanum ex re cognomento Cæcum, quòd Tur-

earum rebus impensè faueret, ipsumq́; Dragutem omnibus sibi officiis conciliaret, ab altero eius insulæ Præfecto interfectum fuisse; atq; eius habitatoribus interdictum, nequis turcas grauissimis constitutis pœnis exciperet, néue ulla re alia subleuaret: ac Dragutem ea re uehementer cōmotum suas quamprimum sarcinas collegisse, seq́; in naues cum uxoribus, filiis, totaq́; familia recepisse, locumq́; hybernis idoneum circumspectare, nec ullū ubi tutò esse posset, adhuc habere. quanq̃; fuerunt qui dicerēt illum ad Cercinam insulam classe appulisse, atq; in ea hybernare constituisse. Tunc Princeps cum uiginti triremibus illò proficisci iniuit consilium. quod cum ex illius nuntio ad id ipsum misso Prorex cognouisset, se ea re uehementer lætari significauit: sed quòd uehementius lætatus esset, si maiore apparatu, & uiribus illò contenderent. se tamen cum eo nauigaturum, periculiq́; & laboris partem su-

biturum esse. Itaq; decimo quinto cal. Octob. abierunt, sed contrarijs uentorum Orientalium flatibus uix tertio post die ad Taphrã, quæ à Lotophagite circiter sexaginta millia passuum distat, peruentum. Et si ijdem uẽti mari tumescente spirabant, triremiumq; nostrarum cursum remorabantur: tamen desiderio, quo tenebantur, contra nitentes nunquam intermisso remigandi labore ad uiginti inde passuum millia contenderunt: cum parũ à Cercina, in quam se recepisse Dragutem cognouerant, iam abessent. Ibi cum eosdem uentos spirare, & aqua classem iam carere cœpisse animaduerterent, nec in toto eo littore illius hauriendæ facultatem inesse, misit Princeps, qui Proregi diceret in rem esse, ut Aphrodisium extemplò repeteretur, si classem, & qui in ea erant, saluos uellent. Ad quod Vega se eius consilio, quem rerum naualium longo usu peritum sciebat, acquie-

turum respondit. Itaq; ob eas ipsas causas, quas memorauimus, classis ad Aphrodisium quinto post die, quàm inde discesserat, maximo omnium mœrore, atq; ægritudine reuersa est, Vegæ præcipuè, cum assequi nõ potuisset, quod tantopere concupierat, ut scilicet, ad Meningem insulam perueniret, manusq; cum Dragute, quem perditum omnino uolebat, consereret, quanquam ibi ex afris etiam compertum est illum ex ea insula à præfecto pulsum cum tredecim minoribus nauigijs adhuc errare, nullamq; sedem ubi in hybernis esset, certam habere. Reuersus igitur Aphrodisium Vega mille, & quingentorum militum ueteranorum præsidio illud firmauit, filiumq; Aluarum ei præesse uoluit, dum Cæsar quid agendum esset, per literas significaret. Etsi uirtutem adolescentis filij, ac diligentiam expertus pro explorato habebat illum summa cum laude tantum onus sustenturum: ta-

men paterno in filium amore coactus, atq; officio, uel potius pietate in Cæsarem, illum quid ad urbis munitionem faciendum; ut se cum militibus gerere; ut erga Numidas finitimosq́; populos habere deberet, ac qua uti uigilantia, diligentissimè præmonuit. quod autem ad rem frumentariam, cæterasq́; res, quæ ad usus uitæ necessarios illic expetebantur, attineret, dixit sibi illud curæ fore, qui ex Sicilia, ad quam redire iam parabat, eas illò transuehendas curaret: & ut id commodè fieri posset, nullisq́; piratarum incursibus interdiceretur, egit cum Auria, ut cum Siculis triremibus, quas ea causa in Drepani portu in hybernis esse statuerat, sex alias ipse ex omni numero lectas relinqueret; quòd sexdecim longarum nauium classem ad prædonum frenandam audaciam satis esse censebat. id quod Auria se facturum pollicitus fuit: quòd uidebat ad res Africæ stabiliendas

illud

illud maximè necessarium. Compositis, *ac constitutis adhunc modum* Africæ *rebus, omnes iam de profectione cogitabant*. Vega *in primis; ut prouinciam, quam* Cæsari, *sibiq́; hoc in bello fidelissimam cognorat, reuiseret, seq́; illi quàm gratissimum in rebus omnibus declararet: ut charissimos liberos, quos in luctu, & squalore ob matris obitum reliquerat; quosq́; postea ob periculosum bellum, diuturnamq́; absentiam maximè solicitos habuerat, consolaretur; iucundoq́; aspectu suo lætitia efferret: ut coràm* Ferdinandum *maximum natu filium, quem* Siciliæ *abiens præfecerat, ob bene administratam prouinciam, ob incredibilem, qua de rebus ad id bellum necessarijs per regios procuratores,* Quæstoremq́;, *& magistratus prouiderat; curam, studium, diligentiam laudaret; suoq́; præconio ad res in posterum gerendas alacriorem redderet: ut illum, ad quem potissimum ho-*

norum, ampliq; patrimonij ueniebat hæreditas, communicatione tantæ gloriæ nuper de Afris partæ ad magnorum etiam factorum imitationem incitaret. Nec ea opinione pater, felix inquam pater deceptus esset, si crudelis mors tantæ felicitati non inuidisset: tale enim iam inde à puero specimen sui dederat, ut nemo non existimaret, illum maioribus suis rerum gestarum gloria præclaris maximo ornamento futurum, patri præcipuè, ad cuius maximè exemplar Iustitiam diligere, pietatem colere, cuncta summo studio, summaq; diligentia gerere obnixè studebat: & in prouinciæ Siciliæ administratione, cui ipsius patris iussu, ut diximus, & Cæsaris auctoritate præerat, ita se gerebat, reddens unicuiq; quod suum erat, tranquillitati omnium studens, ab internis, externisq; periculis summa uigilantia illam conseruans, ut Prorex pater haud abesse uideretur. Quam-

obrem factum est, ut cum tantæ uirtutis, prudentiæq; fama, quæ in obscuro esse non poterat, ad Cæsaris, eiusq; filij Hispaniarum Principis aures perueniret, atq; ipsi ex eius literis de Siciliæ prouinciæ statu, de rebus, quæ in Africa gerebantur ad se perscriptis cognouissent, illum quouis magistratu, atq; imperio dignum esse; ambo illum per diplomata ad idipsum duntaxat missa summis laudibus ad cœlum ferrent; seq; de eo benemerituros pollicerentur. Felicem certè Vegam tanta uictoria ex Afris parta; feliciorem tamen filio, si eum ijs fungi honoribus perspexisset, quibus ille ab ijs haud indignus habitus est, qui amplissimos habere & solent, & possunt. Sed sic se habent res humanæ, ut nulla in ijs solida felicitas, aut perenne gaudium esse possit. Nec temere id, casuq;, sed diuino credas accidere consilio: Deus enim opt. max. cuius sapientia, nutuq; fiunt,

ac reguntur cuncta, tristia eam ob causam lætis, funera triumphis miscet, ut, cum uideamus nihil hic esse non uarium, mortale, & caducum, non his fluxis spem nostram, sed in cœlestibus illis bonis collocemus, quæ stabilia, & æterna sunt, nulliq; temporum permutationi obnoxia. Et si propè innumerabilia sunt antiquorum exempla, quibus monemur, ne rebus prosperis efferamur, ac quibus uiuere institutis, & rationibus debeamus, abundè docemur: tamen Ioannis Vegæ, & Ferdinandi eius filij exemplum, cum magis nos moueant, quæ uidemus, quàm quæ audimus, nobis documento esse potest; ut quæ cogitamus ipsi, & facimus, cuncta ad immortalis Dei consilium referamus, & ad diuinam eius legem seruandam cum omneis cogitationes nostras, tum opera conferamus: illud enim inde sequetur, ut, cum non humanæ laudis parandæ (quæ tamen recte facta

semper comitatur) sed officij potius faciendi causa laboremus, nec rebus prosperè euenientibus efferamur, nec aduersis perfringamur. Siquis poterat honestis, sanctisq; cogitationibus, & rerum gestarum magnitudine, splendoreq; gloriari, paucos certè existimo (ne nullos omnino dicam) qui cum Ioanne Vega sint conferendi: is enim cum prouinciã Siciliam suscepisset à Cæsare administrandam, atq; eam omni scelerum, uitiorumq; genere ita pollutam, & perditam offendisset, ut nullum uirtuti, nullum honestis actionibus locum esse animaduerteret; illam singulari sua prudentia, summaq; iustitia in eum uiuendi statum restituerat, ut, cum æquo iure ubique uiueretur, nulliq; ferè in tota prouincia iniuria fieret, ipsum non ut Proregem cuncti diligerent, & obseruarent, sed tanquam parentem uenerarentur, ac colerent. Quid hac per Deum immortalem

felicitate præstantius? tamen, ne per eam sibi ipsi aliquid aßumeret, ecce tibi infesta mors, charissima illum (prò dolor) ac sanctissima coniuge cunctis decorata uirtutibus orbauit: tantamq; ob restitutam in optimum statum prouinciam adeptam felicitatem in luctum, squaloremq; commutauit. Mox non ea iactura retardatus, quo minus uniuersam Rempub. prædonibus quotidie uexatam, atq; afflictam iuuaret; Cæsaris regis sui imperium augeret, & Christianam religionem (quantum in se eßet) extolleret, in Africam traiecit: ubi cum immensos labores, & maxima incommoda, quæ strenuis ducibus bellum affert, paßus esset, ingentia pericula subysset, tandem conserta cum ferocissimis hostibus manu uictoriam reportaßet, atq; expugnata munitissima urbe totam ferè Africam in Cæsaris potestatem redegißet, dignus ab omnibus Africani cognomine habitus

esset, ecce iterum inuida, atq; tantæ felicitati, & gloriæ inimica mors tanti facinoris auctori Vegæ, quietis publicæ fundatori, Christianæ pietatis amplificatori, Ferdinandum filium summa spe, altáq; indole adolescentem, bonorum, paternæq; gloriæ hæredem, Siciliæ præsidem iustissimum, dictis, factisq; præclarum, summis à Cæsare, Philippoq; eius filio affectum laudibus, ademit: tantamq; patris uictoriam atq; immensam ex immanibus hostibus partam gloriam tristem, funestamq; reddidit: etenim paucis ante diebus, quàm pater Aphrodisium oppugnaret, in grauissimum ille incidit morbum: quo ita uexari, ac conflictari cœpit, ut toto corpore contremisceret; nec noctu, nec interdiu requiesceret; nulláq; medicorum ope, qui peritissimi totius prouinciæ coacti sunt, leuari posset. Quamobrem facilis erat coniectura, illud haud diutius uiuere posse: præsertim

cum ipsi medici omnem eius salutis ſpem abie-cissent: morbi enim grauitas tanta erat, ut æstu, febriq́; continua iactaretur; uix ullum oculis somnum uideret, nullum iam solidum cibum ore caperet, ac paulatim tabeſceret. Augebat etiam uim morbi solicitudo non parua, qua præterea afficiebatur; cum uideret prouinciæ administrationem infirma sua ua-letudine intermitti: quanq́; Ioannes Osorius, Sylua illi consanguinitate coniunctus uir multi studij, & iudicij, & rerum gerendarum uſus admodum peritus ita dum ille ægrota-uit, ipſius nomine res totius Siciliæ unà cum Regio consultore Arduino, magistratu, re-gysq́; procuratoribus administrauit, ut nec Proregem abeſſe, nec Præſidem eius filium ægrotare prouincia sentiret. Voluiſſet ta-men Ferdinandus, ut quemadmodum à patre in Africam abeunte prouinciam administran-dam ſusceperat, ſic uictori illi ex Africa re-

deunti optimè illam per se administratam restitueret. Sed cum tandem uideret id sibi per infirmitatem ualetudinis non licere, & id, & morbi sæuitiam ut à bonorum omnium auctore Deo profectam haud iniquo sibi animo ferendam putauit. Itaque cuncta iam boni consulens se ad bene moriendum parabat: quæq; à religiosis uiris, qui coràm aderant, præcipiebantur, non inuitus audiens exequebatur. quanquam iam inde à puero ita sapienter, pureq; uitam instituit, ut ex laudabilibus eius uitæ institutis, sanctisq; actionibus uero Christi milite dignis (quæ omnia prematuræ mortis argumenta sunt) pro explorato haberi posset, illum ad senilem ætatem non peruenturum, cum in ipsa pueritia, sapientia, pietate, sanctimonia, cæterisq; animi dotibus, laudatissimis, atq; omni uirtutum genere ornatis senibus ille præstaret. Quarè

fiebat, ut quibus uel Deum, uel homines se offendiße credebat, persæpe sacerdoti confiteretur; ueniamq́; peteret: & tunc maximè quòd mortem instare animaduertebat, non modò eorum, quæ Christianum militem decent, nihil prætermisit, sed in ea incommoda, ægraq́; ualetudine se iys non semel, & iterum communiuit. Nuntiatum per Ioannem Osorium Syluam patri fuerat illum ægrotare, sed non ita grauem morbum eße. Itaq; cũ ille putaret filium ea tentari ualetudine; qua ab ineunte ætate solitus fuerat; sperabat fore, ut ea breuiter emergeret. Quamobrem expugnato à se Aphrodisio iucundissimum tantæ uictoriæ nuntium continuò ad ægrotantem filium deferri uoluit: ut lætitia, quam ex eo caperet, ægritudine, morboq́; leuaretur. Sed illum medici non solita modò ualetudine tentari, uerum etiam undecim alijs morborũ generibus cruciari dicebant. Et ita tunc labo

rabat, ut tametsi eo nuntio recreari uisus est, ac non parua affici lætitia; & quid ageret pater, fraterq; Aluarus, & quonam modo tam munita urbs capta esset, percontatus est; tamen tot malis defessus, atq; uehementer conflictatus illa perfrui lætitia non posset. Quod autem potuit, præ sapientia, qua præditus erat, immortales summo Deo gratias egit, quòd Christianis uictoriam concessisset, reiq; magis necessariæ consuluisset; præstare existimans publicæ omnium utilitati, quàm saluti, & incolumitati suæ prospectum esse. Etiam dixit non semel, aut iterum, sibi mortem, non ob suam certè, sed patris causam acerbam putare: cuius incredibilem in se amorem non ignorans, illum molestissimè suum casum laturum arbitrabatur. Superuixit tamen, & tertio post nuntium, & nono post gloriosam patris uictoriã die summo domesticorum, urbis, & totius

Siciliæ mærore interijt: Isabellæ sororis præcipuè, cui dolor, quem ex charissimæ matris obitu ceperat, qui aliqua ex parte leniri uidebatur, hac fratris morte renouatus est, atq; ita auctus, ut nisi (qua in Deum *pietate est) in eam cogitationem uenisset, ut, quæ mortalibus accidunt, diuino cuncta accidere numine arbitraretur, doloris magnitudinem nulla perferre ratione potuisset. præsertim quòd pater, fraterq;* Aluarus *aberant; quos tametsi crudeleis hostes domuiße, gloriosamq; ex ijs uictoriam consecutos sciebat; non tamen sine magno periculo, uitæq; discrimine illos abeße censebat.* Sed *ita tamen dolebat, ut quod à* Deo *profectum existimabat, non in bonam partem accipere, ac dolori penitus succumbere nefas duceret. præcipuè quòd in ea fratis ualetudine, patrisq; & alterius fratris absentia, siue sacrificia penè innumerabilia quotidie facta;*

precesq́; ad Deum fusas; seu diligentiam, quam in illo curando dies, noctesq́; adhibuit, consideres, nullum quidem, quod non parvam consolationem afferebat, pientissimæ filiæ, atq; amantissimæ sororis officium prætermisit. Magistratus, & principes ciuitatis atrati omnes ad Regiam conuenerunt; tum ut funus efferrent, ac merito honore celebrarent; tum Suerum fratrem eius minimum optimæ indolis, & summæ spei puerum; cæterosq́; consanguineos, & domesticos luctu omneis & squalore obsitos consolarentur. qui maximam licet tristitiam præseferebant, quòd uniuersam prouinciam in tanti, tamq́; iusti, atq; omni uirtutis genere ornati præsidis casu magnam fecisse iacturam perspiciebant: ea tamen re magis commouebantur, quòd incredibilem lætitiam ex deuictis nuper hostibus à Christiana Repub. susceptam, in grauissimū

conuersam in luctum cernebant; & tam egregiam patris uictoriam immatura filij morte labefactatam, funestamq; redditam. Illorum igitur, & domesticorum humeris mœstissima ciuitate ferè tota insequente ad diuæ Citæ templum funus ductum, ibiq; sacrificijs, & pulcherrima de meritis eius laudibus habita oratione celebratum, arcaq; sericis uestibus cooperta conditum iuxta maximam templi aram ad læuam è regione matris locatum fuit. Harum rerum ignarus pater iam classẽ conscenderat; ut ad Siciliam rediret; cum sexdecim illæ triremes, quas commeatus caussa triduo antequàm Aphrodisium inuaderetur, ad Siciliam per Auriam missas diximus, apparuere; optatæ quidem diu à nostris. in ijs ueniebat tristis nuntius de Ferdinandi Vegæ præsidis morte, qui totam classem magna affecit tristitia multis de caussis; patris Vegæ præsertim, cuius uicem maximè omnes

dolebant: cum uiderent, magnam uictoriæ partæ lætitiam luctum tam grauem consecutum esse. Sed Vega, qui nec rebus prosperis multum extollitur, cum eas ad Deum auctorem semper referat; nec frangitur aduersis, cum exploratum illi sit homines ea lege nasci, ut omnibus Fortunæ telis expositã uitam habeamus: etsi non potuit non commoueri tanta filij iactura: tamen ita dolere uisus est, ut magnam animi æquitatem præseferret; ut Princeps Auria, Antoniusq́; & Garsia cum cæteris classis ducibus, qui ad eũ consolandum in prætoriam triremem Siculam, qua ille uehebatur, transierant, uehementer mirarentur illius pectus tali prudentia, ac sapientia munitum esse: nam præterquàm quòd ueræ se religionis, Christianæq́; pietatis cultorem declarauit, ferens æquo animo, quod à Deo profectum existimabat; fertur etiã imitatus Paulũ Aemiliũ,

cuius penè haud dissimilem se esse animaduertebat: Ille enim duos filios alterum quarto antequàm de Macedonibus triumpharet, die; alterum tertio post triumphum amisit. Hic uerò antequàm in Africam ad oppugnandum Aphrodisium traijceret, charissima, atq; omnibus ornata uirtutibus coniuge orbatus est; post autem eius urbis uictoriam maximum natu filium perdidit: & ut ille quòd publicæ felicitati nihil aduersi accidisset filiorum mortem æquo animo tulit; sic Vega Cæsaris imperio, & publica utilitate aucta domesticum luctum magno animi robore sustinuit. Etenim non ea re in terram egressus est, nec quicquā quotidianæ suæ consuetudinis prætermisit. Etiam non oblitus moris Veganæ familiæ, in qua instituto maiorum filius paternam hæreditatem aditurus uel Ferdinandus, uel Ioannes uocari debet: ita tamen ut uel Ferdinandus Ioanni, uel Ioannes Ferdinando

patri

patri succedat. Ferdinando Siciliæ præside maximo natu filio nuper uita defuncto; cum ad Aluarum ueniret hæreditas, uoluit ipse præscripti, institutiq; maiorum seruandi causa, ut is prænomen immutaret, Ferdinandusq; uocaretur: ut sibi Ioanni Ferdinandus, deinceps filius cui Ioanni nomen sit, illius hæreditatem adeat. Itaq;, qui Aluarus antea uocabatur, Ioannis patris instituto Ferdinandus ab omnibus in præsentia dicitur: qui in omnibus negotijs uel ipsi datis, uel ab ipso susceptis ita se gerit, ut cum usquequaque se Ioanne patre haud indignum præbeat, illius successione dignissimus ab omnibus censeatur. Coegit me, ut ad hæc commemoranda, forsan præter legem historiæ descenderem, non magis amor, quo nobilem hanc familiam complector, quàm ut hunc morem de mutandi in hac domo prænominis ratione commemorarem, quodq; in demortui illius iuuenis

laudem iure dicenda censueram non præter-mitterem. Maturabat igitur Prorex, & cæteri omnes, ut statutum antea fuerat, prouinciam Siciliam repetere, sed cum uenti, qui ab occasu æstiuo spirabant, aduersarentur, quanq; ad paruas insulas, quas à cuniculis nomen adeptas diximus, parum inde distantes cursum direxerant, ut, si fieri posset, faciliorem inde cursum tenerent: tamen eadem nocte coacti sunt ad eundem locum, unde discesserant, reuerti. Et cum in sententia permanerent, in anchoris expectabant, si forte uentus leniretur, nauigandiq; potestas fieret: sed ille non modò non leniebatur, uerùm increbescebat potius, alijq; contrarij oriebantur flatus, per quos ex Aphrodisij statione egredi nequaquam licebat. Cœpit paulo post mare tumescere, cœlum obduci nubibus, crebri inter eas ignes coruscare, atq; omnia, quæ cernebantur maximam tempesta-

tem portendere, maximumq; mortis pericu-
lum intentare. Quarè Andreas, Antoniusq;
Auriæ, & Garsia, & Berengarius cæteriq;
duces, & nautæ rerum nauticarum scientiæ
admodum periti uehementer commoti sunt:
Et quoniam discedendi spe omnes ferè trire-
mes coniunctæ erant, modicumq; inter eas
spatium relictum fuerat; & ea re maximum
ijs discrimen, ac periculum impendebat; cœ-
perunt Præfecti omnes, ducesq; triremes
quisque suas, iusto interuallo distungere, ac
distinere: ne propter uehementem, quæ illis
ante oculos obuersabatur, tempestatem pro-
pinquitate attererentur. sed quod parabant,
seduloq; obnitebantur, perficere non pote-
rant; nam tanta undiq; uentorum uis cum
maxima imbrium, ac nimborum effusione
subitò exorta est, ut ne imperari quidem pos-
set, quod agendum erat, nedum funes colli-
gendi, triremesq; impellendi facultas esset.

Quamobrem breui euenit, ut aliæ proras, nonnullæ remos, pleræque omnia ferè amitterent armamenta. Prætoria triremis sicula, qua Prorex ipse uehebatur, scapha ui æstus priuata est; parumq; abfuit, quin à naue oneraria, quæ paulo ante cum commeatu è Sicilia cum triremibus uenerat, opprimeretur: ea enim cum tempestatis magnitudinem perfractis funibus perferre non posset, littus ipsum prætensis uelis commeatus seruandi causa, quà triremis ipsa prætoria cum nonnullis alijs contra tempestatem obnitebatur, petebat. sed Algæ herbæ supernatantium foliorum copia, in quam forte incidit, uenientis illius impetum retardauit; atq; in triremem, qua Antonius Auria uehebatur, detorsit. sed illius mandato statim nautæ funẽ anchorariũ, cui nauis adhæserat, inciderunt; eóq; facto illam incolumem præstiterunt. Nauis autem & uentorum ui, & maris

impetu ad littus peruenit, & quod potissimum exoptabat, ut commeatus, panisq; nauticus seruaretur, assecuta est. Omnes interim, qui in classe uersabantur, laborabant uehementer, & uix resistere magnitudini tempestatis poterant; quæ eò iam creuerat, ut cum nulla penè salutis iam spes esset, omnes ferè ad uota facienda conuerterentur: nam præterquàm, quòd pleræque triremes amissis armamentis, prorisq;, & nonnullæ puppibus, malisq; regi non poterant; undiq; fluctibus, qui montium instar habebant, petebantur; atq; iis repletæ penè summergebantur. cum interim tonitrua, fulgura, & nimbi mixti grandine cum laborantium nautarum, & remigum corpora infestarent; tum mentes etiã uehementissimè deterrerent. Quatuor perpetuos dies hoc tanto malo uexati sunt: in quo Præfectorum prudentia, animusq; maximè enituit. Ibi Princeps, ibi Antonius Auriæ,

ibi Garsias, & Berengarius quàm rerum nauticarum periti, qua animi præstantia essent, ostendere: nam tametsi tempestas ita uehemens erat, ut certum minari naufragium uideretur; tamen quicquid agendum in tanto periculo existimabant, sic intrepidè, ac maturè prouidebant, ut, cum nuncupatis uotis se ex tantis malis emersuros esse spem acciperent; tamen ad mortem, si necessitas cogeret, fatóq; datum esset, æquo se animo paratos, significarent. Quarè factum est, ut cum nullum, nec agendi, nec alijs imperãdi tempus prætermitterent, triremes omneis licet attritas, & mutilatas incolumes deniq; seruarent. Prorex ipse quanquàm nauticarum rerum scientiam nunquam professus fuerat, licet non paruum earum haberet usum; tamen intrepido animo nonnullos nautas, qui animum penitus abiecerant, illum reuocare, ac certam euadendi spem capere, &

munia quenque sua uerbis, minisq; obire iubebat; cuius tanta fuit auctoritas, ut, cum turpe illi esse putarent, amplissimi uiri in eadem (ut aiunt) naui uersantis consilijs, præceptisq; non parere, omni prorsus amoto metu nauium incolumitati obnixè manibus, pedibusq; prouiderent. tres tamen onerariæ naues naufragium fecere. quanquam magna pars rerum, quibus oneratæ fuerant, Proregis diligentia, studioq;, ut postea patebit, seruata fuit. Potuisset Vega initio tempestatis, & postea sæpenumero in terram descendere, seq; tanta molestia, periculoq; liberare: tamen ut in commune consuleret, exemploq; suo cæteros in officio contineret, ne si incompositi (quod aliter fieri non poterat) egrederentur, aliquid detrimenti ab incursantibus Numidis, cæterisq; barbaris acciperent; nunquam uoluit: quando sibi uir magnanimus salutis aliorum potius, quàm suæ

rationem habendam censuit. Quarto tamen post die cum perspiceret magnum nostrorum militum, & aliorum numerum alios natando; alios scaphis, paruisq; nauigijs, quæ forte nacti fuerant; alios fractis tabulis inhærentes, quas casus attulerat, nullo ordine in littus euadere; eadem causa, qua retentus in classe fuerat, ne scilicet quicquam detrimenti nostri caperent, atq; à barbaris infestarentur, in terram egredi conatus est. Et si tunc ex pedibus (podagra enim sæpenumero torquetur) maximè laborabat; & sæuiente adhuc tempestate à speculatoria nauicula nõ sine maximo periculo, & labore solus exceptus: tamen sui prorsus oblitus illorum saluti interuentu suo consuluit: atq; ut id commodius, tutiusq; facere posset, oculis circumspiciens accliuem in littore perspexit locum, quem aqua pluuia, cum assiduè pluisset, munitum reddiderat: nam à terræ parte magnã

habebat alluuiem, qua barbarorum incursus reprimebantur: à lateribus uetustis quibusdam parietibus; à fronte uerò mari muniebatur. quibus rebus fiebat, ut nostri illò confugere ab eo iussi, ibiq́; collocati nullo ipsi ab hostibus afficerentur incommodo, & hominibus, nauibusq́; ui tempestatis in eam partem eiectis succurrerent, atq; auxilium opportunum ferrent. Hoc exemplo uenit in mentem alterius facinoris memoratu digni, quo summa huius uiri integritas, singularisq́; uirtus enituit: Nemo est enim, qui nesciat, naufragium illud, nunc decimus ferè annus agitur, à Cæsare factum; dum ille in Africam ad oppugnandam Cæsariam Aenobarbi archipiratæ tyrannide occupatam potentissima classe, magnoq́; exercitu traiecit: in qua onerariæ naues quamplurimæ; actuariæ penè innumerabiles, triremes ferè omnes maxima tempestate attritæ sunt. Ad id bellum Ioannes

Vega magno apparatu, comitatuq; secutus Cæsarem; ut semper in omnibus expeditionibus bellicis est solitus, magna, ualidaq; naui uehebatur; secumq; complureis genere, factisq; præclaros habebat uiros. Cumq; accidisset, ut nauis ui tempestatis solutis aliqua parte compagibus rimas ageret, fluctusq; in se reciperet; omnes, qui in eadem naui erant, cum præsens periculum, discrimenq; perspicerent, illi persuadere studebant, ut, cum omnium non poßet, saluti saltem suæ consuleret: etenim speculatoria aderat nauicula, quæ illum, & tres, aut ad summum quatuor alios excipere parata erat. tamen cum ipse uideret eam haud capere omnes poße; egredi noluit; statuens uel illos secum seruare incolumes; uel cum ijs facere naufragium. sed unum ex ijs ea nauicula ad Cæsarem misit, ut sibi, & ijs, qui secum in naui erant, opportunè consuleret. quod quidem

maturè Cæsar fecit: etenim misit nauigia, quibus omnes quanquam non sine magno negotio excepti; & inde in proximam nauem, quæ integra erat, translati, è manifesto periculo erepti sunt. Qua in re illud quoq; admodum memorabile fuit, quòd ultimus omnium è quassata, soluta, perfractaq; naui egressus est; quæ statim ab æstu disiecta in partes, & dissipata fuit: Ex quo facili asseequi coniectura possumus bonos uiros pietate scilicet, & charitate insignes optimo, clementissimoq; Deo magnæ curæ esse: à quo Ioannes Vega cum egregijs illis uiris ab imminenti periculo seruatus est. Egressus igitur (ut unde digressi sumus, reuertamur) in terram Vega dedit quamprimum operam, ut fuga barbarorum facta milites incolumes seruaret; fractarumq; nauium res quàm diligentissime reciperet, atq; eas in primis, quæ uictis hostibus detractæ fuerãt, quas ad Iulium

Pont. Max. Christi in terris Vicarium mittere constituerat. Idq́; ex animi sententia assecutus est. Andreas autem Auria, Antonius, cæteriq́; duces sedata tempestate omnem adhibuerunt diligentiam, ut quassatas, attritasq́; triremes reficerent, quod quidem, ut facilius consequi possent, easdem paruas insulas, quas non multum ab Aphrodisio abesse diximus, ijs petierunt. Etenim iuxta eas magis fida classibus statio habebatur; & aliqua in ijs materia inerat, qua illæ aliqua ex parte reparari possent. Dum classium præfecti in ijs reficiendis tempus conterunt, Vega Aphrodisij munitiones perspicit; & an quicquam in ijs denuo prouidendum sit, diligenter animaduertit, sed miratur uehementer quicquid deiectum antea in oppugnatione urbis fuerat, Ferdinandi Vegæ filij, quem ualido præsidio, ut supra demonstrauimus, abiens urbi præfecerat, opera, atq; industria repa-

ratum penè esse: custodiasq; militum ita dispositas, ac cætera omnia, quæ ad tuendam, muniendamq; urbem faciebant, sic diligenter prouisa, ut ex iis coniecturam faceret pater, eius oppidi tutelam optimè filio commissam esse, seq; in utranq; aurem, ut aiunt, dormire posse. Refectis igitur, instructisq; denuo (ut fieri potuit) longis nauibus, ut primum nauigandi facultas data est, Prorex ipse, & Princeps Auria cum cæteris ducibus ea usi sunt: breuiq; secundo spirante austro Drepanum omnes incolumes delati.

Nobilis Messana, Syracusæ, Catina, cæteræq; prouinciæ Siciliæ ciuitates ad unam omnes, ut Proregis sui reditu, cui quòd in optimo statu sint, acceptum referunt, uehementer gauisæ sunt, sic etiam uoluissent longa illum pompa triumphantem excipere, excitatisq; in uicis publicis, quà deducendus erat, omnis generis arcubus, illius res præclarissimè ge-

ctas cum pictis in ijs imaginibus; tum statuis collocatis exprimere; seq; illi quoquomodo possent, haud ingratos demonstrare: tamen certiores factæ eiusmodi honores illi nequaq; cordi esse; cum eo animo semper fuerit, ut malit Cæsaris, Christianiq; nominis hostes uincere, uictoriamq; reportare, quàm de ijs ad antiquorum Romanorum exemplar triumphum agere, eo præcipuè tempore cum ob charissimæ uxoris, & immaturam, recentemq; filij mortem adhuc in luctu, & squalore esset, eius generis honores sibi omittendos putarunt; præsertim quòd compertum omnes habebant non tunc illum prouinciam, iurisdictionemq; lustraturum, neq; ad se peruenturum esse. Panormus tamen cum putaret, eò Proregem, unde discesserat, reuersurum; ut incredibilis lætitiæ, quam ob tantam uictoriam, ipsiusq; reditum ceperat, præsenti illi fidem faceret, triumphaleis arcus,

quà illum transiturum censuerat, constitui; statuasq; complureis fabrefieri, atq; in ijs col locari mandarat. Quas inter, ut cæteras (ne longum faciam) omittamus, una Scipio nis Aemiliani erat, qui uictorem Vegam re= deuntem excipere, eumq; quartum Africa= num pulchro carmine appellare uidebatur.
Scipioni auo, qui Carthaginem uectigalem fecerat, primum: sibi uero, qui funditus de= lerat, secundum: Cæsari Carolo .V. Ro= manorum Imperatori, qui Tunetis regnum ex Aenobarbi immanis archipiratæ manibus ex torserat, regiq; Azeno restituerat, tertium; Ioanni autem Vegæ Siciliæ Proregi, qui nu= per Aphrodisium natura, & opere munis tissimum, ualidoq; turcarum præsidio firma= tum, modicis copijs expugnauit, totamq; eã regionem, quæ proprie Africa dicitur, Cæ= saris imperio subiecit, quartum illud cogno= men tribuens. Eius ciuitatis animum lauda=

uit Vega mirifice, sed Drepani ipse commorari statuit, ut Africæ rebus, quas dum Dragutes uel uiueret, uel liber esset, haud negligendas putabat, opportunius inde loci propinquitate consuleret: compertum enim habebat, illum parta à se uictoria ita angi, ut nec noctu, nec interdiu quiesceret, dum uel amissam urbem reciperet, uel ipsi saltem aliquod detrimentum afferret. Quamobrem non modò illius conatus Vega reprimere, sed etiã illum è medio tollere, aut in seruitutem redigere summa ope studebat. Quocirca antequã Cæsarianæ classis præfectus Andreas Genuam hybernandi causa repeteret, non immemor ipse mandati Cæsaris, quod (qua in regem suum pietate est præditus) digeri, ac maximè confici exoptabat, ut scilicet Dragutes omni adhibita diligentia perquireretur, ac morte, si fieri poßet, afficeretur, egit cum illo diligenter, ut ad id ipsum in Drepani

portu

portu lectas ex omni numero quatuordecim triremes relinqueret; ea re enim accidere posse significabat, ut uel breui immanissimus ille prædo in Cæsaris potestatem ueniret; uel ab inferendis Christiano nomini iniurijs deterreretur, liberumq; hoc mare inferum, atq; tutum relinqueret. Et cum proximè Alfonsus Coua ad arcem Gulettam, cui, ut diximus, præfuturus erat, nauigaturus esset; non duabus tantū triremibus, ut cōstitutū fuerat, efficiendū id esse censebat, sed iusta potius classe; qua nostri, qui in ea prouincia uersabātur, tutiores redderentur; fœdere autem nobiscum iuncti in officio continerentur. Ad hæc Auria respondit sibi perquàm molestum accidere, quòd grauiore ætate esset, quàm ut diu Cæsaris cōmodo, honoriq; inseruire posset; se nihilhominus tamen in eo, quod usui, decoriq; futurum Cæsari existimaret, uitam profundere paratum esse. Sed quod Prorex suadebat,

nequaquam tunc fieri posset; omnemq; diligentiam, & operam irritam fore: primum, quòd exclusus tempore Dragutes, in hybernis potius esset, quàm maris sæuitiæ, quod minimè tempestiuum per totam hyemem, cuius uis iam maritimos cursus præcluserat, ad nauigandum uidebat, se committere auderet: deinde quòd triremes ui superioris tempestatis penè omneis consumptas ad rem benegerendam prorsus inutiles existimabat: præsertim quòd magna commeatus, reliquorumq; rerum inopia premebatur. Quamobrem illud se optimum factu censere, ut id negotium in mensem Martium reijceretur; interim daturum se operam, ut suæ triremes resarcirentur: ac cunctis postea necessarijs rebus instructæ ipsi præstò forent; ipsius etiam mandato & Siculam classem interea temporis reparari, instruiq; posse, ut non alieno, sed suo tempore posthac rei, quam tantopere cupie-

bant, compotes fierent. Quòd si claße ui tempestatis attrita, ac penè perdita incerto cursu, maxima hyeme nauigandum esset, præterquàmquod Dragutes nullo affici incom modo posset, uniuersæ classis, & omnium salus in certum discrimen, periculumq́; ueni= ret. Ad ea Prorex non me latet (inquit) te sepænumero Cæsaris causa uitæ periculum adiße: etenim locuples ipse eius rei testis sum. Quòd autem dicas, classem, si illud fieret, in maximum discrimen uenire posse: & si rerum naualium non admodum peritus sum: tamen & ego illud perspicio non sine periculo fieri poße: sed si Cæsaris animum consideres, qui tantopere desiderat eius pira tæ tam nefarij perniciem, ut Christiana res= pub. tantis molestijs, incommodisq́;, quibus quotidie afficitur, liberetur; in rem esse cen sebis, uniuersam classem ne dum illius par= em eo nomine in quod uis discrimen obijcere:

etenim Cæsar ipse æstate superiore eius nego-tij cõficiendi gratia decreuerat magnum equi-tum, peditumq́; exercitum cogere; ut insulæ Lotophagitis, in qua tunc Dragutes inerat, expugnatio tentaretur. Sed quoniam satis constantes afferebantur rumores Dragutem ipsum ante Cæsaris exercitus illuc aduentum ab ea insula profecturum, nulloq́; pacto illius impressionem expectaturum esse, de ea inua-denda insula Cæsar mutauit consilium: & ad hominem tam perniciosum opprimendum tra duxit animum. Itaq; consilio tecum commu-nicato constituit, ut primo quoq; tempore tota ferè classis in duas partes diuideretur: ut tu ipse hinc illum altera, altera autem Bernar-dinus Mendosa Hispanæ classis præfectus il-linc persequeretur, & bellum aduersus Me-nyngem in aliud tẽpus differretur. quod qui-dem aliqua ex parte ad rem collatum fuit: nam præter Aphrodisij expugnationẽ toti Chri-

stianæ reipub. (ut neminem latet) admodum utilem, Cæsaris classis in hoc Tyrrheno, Lybicoq; mari commoratio, & confecti ultro, citroq; cursus omnem illi nauigationẽ, portum, stationemq; minus tutam, uel potius infestam reddidere. Cum Cæsar igitur eius archipiratæ exitium tantopere cupiat, ut ad eum tantummodo perdendum magnum exercitum conscribere, classem diuidere, atq; existimationem suam in discrimen adducere non dubitaret; quid est, quamobrem ipse quatuordecim tantum, aut ad summum sexdecim longas naues maris periculo committere verearis? hoc præsertim tempore cum fractas illius prædonis opes, uiresq;, ac damnatam, perditamq; & existimationem, & auctoritatẽ uideas? Quòd autem ad eas sustentãdas triremes cõmeatum tibi deesse obijcias; id tibi cum polliceor, tum re uera præstabo me Panormi in triginta, fortasse etiam quadraginta dies & panem

nauticum, & molita cibaria præbiturum. Quòd itidẽ dicas ita classem tempestate quassatam, ut nihil quicquam per ipsam agi possit; non ita attritam concedimus, ut non is numerus ex ea eligi, cæterisq; refici triremibus facilè possit; quo Cæsaris uoluntati mos geratur, & totius Christiani nominis utilitati, ac quieti consulatur. Quamobrem uehementer te rogo ut hoc magnum, operosumq; negotium Cæsaris, & Christianæ reipub. causa suscipias, procures, & conficias: nam quod pollliceris te ad mensem Martium nobis præstò fore; istud fortasse uel Cæsaris ad Italiam aduentu, quod futurum esse affirmare non dubitas, uel aliqua re alia, quæ ex alia incidit, impedietur; triremesq; ad aliud peragendum traducentur. Quod si nunc, quod animo agitamus, perficitur, non uenio in dubium, quin utrunque, & aliud quodpiam negotium opportunè peragatur. Et cum Prin

ceps diceret se probè noſſe Proregis animum, qui nullo pacto quieſcere poterat, quousque immanis ille prædo tolleretur è medio: tamen se longo nauigandi usu (etenim se duodequadraginta annos nauigaſſe affirmabat) edoctũ eſſe, quod Proregi tantopere in optatis erat, tunc fieri haudquaquam poſſe: et eam ob causam nolle triremes in diſcrimen obijcere; nec diem ſuum in barbarorum, ſed Christianorum regionibus obire uelle. Quamobrem non eſſe, cur ea de re posthac amplius ageretur: Vega tamen in sententia permanebat, nec ijs rationibus, quas Princeps collegerat, acquieuit: sed ab illo se penitus diſſentire multis illi argumentis ſignificauit. Cum autem ſe nihil proficere animaduerteret, nam illum ab ea sententia deducere nequaquam poterat, dixit non tamen ſine stomacho, illum eſſe Cæſaris claſſis præfectum; illiusq; intereſſe potiſſimum, quod ipſe è Repub. eſſe

censuerat, maturè exequi; se profectò sat habere, quòd officio (quantum in se fuerat) satisfecerit: rogare eum tamen, ut decretum illud memoria repeteret, quod in prætoria quadriremi antequàm classis ex Africa discederet, communi omnium ducum consilio, quos Auria ad id ipsum aduocarat, factum fuit: ut scilicet cum triremibus Siculis quatuordecim saltem numerus expleretur; ac Siciliæ, Africæq; tuẽdæ causa in Drepani portu relinqueretur. quod quidem decretum nisi per ipsum seruatum esset, magnam inde rerum perturbationẽ futuram Prorex affirmabat: proptereaquòd Dragutes ipse Aegusã, Cosyram, reliquasq; paruas insulas inter utranq; prouinciam interiectas, obsidere, omnisq; generis naues, quæ commeatu, reliquisq; rebus oneratæ ad Africam nauigarent, diuexare, ac prædari posset: & propterea tum, qui Cæsaris imperio subditi sunt; tum qui fœdere illi conuncti maximis

iniurijs afficere. Si tunc (Prorex addebat) cũ nusq; Dragutes appareret, constitutum illud fuerat, quo prouinciales optata securitate frui possent; nunc cum ad nos quotidie afferatur illum in cursu esse; quæq; potest detrimenta cunctis negotiatoribus, & prouincialibus afferre, committendum nobis est, ut illorum tranquillitatem, ac salutem contemnamus? præsertim quòd non magno admodum negotio fieri posset, ut ijsdem triremibus ultro, citroq; currentibus captiuus ille duceretur; uel saltem ab infestandis nostris deterreretur. Quòd si tandem Princeps suam sententiam ualere, nec eum triremium numerum relinquere ex decreto uelit, se non posse non molestissime illud ferre, & habita ætatis, dignitatisq;, & status illius ratione cum eo ea de re iure optimo expostulare. Non inficiabatur Princeps decretum in Africa de triremibus in Sicilia relinquendis factum esse;

sed illud ante tẽpestatem statutum fuisse asse uerauit; qua ita illas diuexatas, atq; ad unã omneis attritas confirmabat, ut nisi materia prius, cæterisq; necesarijs rebus comparatis reficerentur, nullum Cæsaris mandatum per eas curari posset; atq; id ea tantum ratione perfici posse, ut Genuensis Genuæ; Neapolitana Neapoli; Sicula autem classis in Sicilia repararetur: & iure iurando affirmabat se libentissimè Cæsaris imperata facturum, & Proregi statim morem gesturum fuisse; si uideret, quod ille faciendum censuerat, per hyemem sibi licere. Quamobrem rogauit illum uehementer, ut sibi ea de re fidem haberet, ac putaret se aliud nihil facere posse, quàm nullis Drepani ex suis relictis triremibus Genuam quamprimum abire: sed nauaturum se operam, ut Neapoli hybernaret; quo per loci propinquitatem, si opus esset, maturius uenire, Aphrodisijq; rebus

prouidere liceret: quasquidem tantæ curæ sibi esse affirmauit; ut cum illi propugnaculo suum præesse filium existimaret, totum hoc mare inferum, cumprimum uer appeteret, se tota cum classe nauigaturum, ipsumq́; Dragutem summa ope insecuturum polliceretur. Huic Vegæ, Auriæq́; sermoni Ambrosius, cui à sancta pace nomen inditum, Lycodiæ Marchio, capitaliumq́; uirorum in Sicilia Princeps, ac Petrus Augustinus ratiocinator regius, Cæsarisq́; procurator non interfuere solum, sed internuntij utriusq; fuerunt: idq́; Vega auctore factum, ut siquid inde aduersi Cæsaris rebus, Christianæq́; Reipub. eueniret; locupletissimi illi testes essent, per ipsum non stetisse, quominus in commune consuleretur, ac Cæsaris mandatum (quoad eius fieri poßet) conficeretur. sed ut ad Siculos redeamus, cumprimum rumor per prouinciam sparsus fuit Proregem Drepanum

rediſſe, ibiq; Africæ Prouinciæ cauſa hyber-naturum, omnes Siciliæ reguli, Principesq; ciuitatum magnis itineribus, alij per equos diſpoſitos illuc officij causa contendere. Et ſi ob immaturam filij mortem, de qua diximus, qua dolor ex chariſſimæ uxoris obitu captus, atq; aliqua iam ex parte lenitus, renouatus fuerat, efficacibus collectis rationibus illum consolari omnes nixi: tamen uictoriam per illum ex Afris partam, qua Cæſaris imperium auctum; Chriſtianæq; Reipub. Siciliæ in primis ſecuritati conſultum fuit, etiam gratulati sunt; ut commemoratione tantæ gloriæ luctum, doloremq; deponeret, ac res aduersas tam ſecundis coniunctas haud iniquo animo ferret: sed ſic eum confirmatum inuenere, ut omnes planè intelligerent ſecundam illum fortunam pulcherrimè ferre, ac non mediocrem ex ea re laudem adipisci; æque & aduersam magna cum omnium admiratio-

ne ferre posse. Huc quoq; Franciscus Albertinus uenit à summo Pontifice, Iulio tertio missus, ut eius nomine tantam illi uictoriam, immensamq; gloriam ex ea partam gratularetur; ac nonnullam consolationem ob acerbam filij mortem adhiberet. Qua ex re quantæ Vega existimationis, atq; auctoritatis sit, quantiq; ab omnibus iure optimo fiat, liquidò patet: etenim summi Pontifices non nisi ad magnos reges, principesq; præstandi eius officij gratia, domesticos, & familiares suos mittere solent: ad Vegam tamen unum ex ijs, qui intimi illius erant, misit; eiq; binas literas & humanitatis, & amoris plenissimas dedit: quarum alteris illi de rebus in Africa præclarè gestis gratulabatur, alteris uerò illum nonnullis collectis rationibus consolari studebat. Earum literarum exemplum hic adscribendum censuimus, ne qui se ad nostrum hoc opusculum legendum contulerint,

earum lectionem aliquando desiderent. Quaobrem nonnullis, quæ potius ad morem, seruatamq; memoria nostra consuetudinē, quàm ad purè, latineq; loquendum mihi facere uidebantur, omissis, earum literarum eiusmodi est sententia.

Magna nos fili affecerunt lætitia literæ tuæ; quæ nos de capto, expugnatoq; Aphrodisio certiores fecere: & cumprimum eas accepimus, supplicatione decreta ingentes Deo. opt. Max. ob rem tam præclarè gestam, partamq; uictoriam, quam illi acceptam referebamus, gratias egimus: deinde incredibilem quam ex ea re lætitiam cepimus, apertissimè omnes tulimus. Quarè fit, ut tibi, cuius consilijs, studio, labore, uigilantia tantum bellum confectum est, Christianæq; Reipub. optimè consultum, pro rerum magnitudine, quas gessisti, gratulamur, præsertim quòd præpotentis Dei auxilio, opeq;, & inuictissi

mi Cæsaris felicitate futurum speramus, ut fortissima illa classis uestra, inuictiq; exercitus maiores quotidie progressus facturi sint: quæq; ipsi præterea cum uniuersa Repub. exoptamus, nullo ferè negotio consequamur. sed hæc Albertinus familiaris noster tibi liquidius explanabit, quem ob eam causam ad te mittimus; & nonnullarum rerum, quas tecum præterea communicari uolumus, ei ad te mandata dedimus; cui ut fidem habeas, te uehementer rogamus. Vale viij. idus Octobris Pontificatus nostri anno primo, salutis M.D.L. Romæ.

Responderamus mi fili magnæ uoluptatis, lætitiæq; pleni ad eas literas, quas de capto nuper Aphrodisio ad nos dederas, cum grauissimum de obitu tui maximi natu filij nuntium accepimus: Et cum non possimus pro nostra summa erga te beneuolentia, quemadmodum secūdæ semper sumus, ita & aduersæ

Fortunæ tuæ non esse participes, ualde eo nuntio tristati sumus: atq; eò maiorem immatura illius adolescentis mors nobis tristitiam, doloremq; attulit, quòd exploratum nobis erat omneis spes tuas in illius præclara indole fuisse repositas. Quamobrem necesse est, te maximo dolore, ac mœrore angi. Verumtamen ita prudentiæ tuæ confidimus, ut cum partes suas patrio mœrori concesseris, Dei uoluntati sis libenter acquieturus: cuius prouidentia, nutuq; fiunt, & reguntur omnia; quiq; proborum hominum consilia, non humanorum sensum impetu, sed recondito suo iudicio, quod nulli mortalium scrutari licet, dirigere consueuit. Nos fili tantam, tamq; grauem iacturam à te nuper factam, cum communem existimemus, molestissimè tecum ferimus; teq; omni, quo possumus officio, consolamur: ac Deum clementissimum uehementer etiam, atq; etiam oramus, ut &

ipse

ipse te consolari, & reliquis filijs incolu-
mem, sospitemq; seruare; eis uerò diuturnio-
rem uitam pro singulari sua bonitate, & be-
neficentia uelit concedere: sed hæc quoq; idem
Albertinus familiaris noster melius, pleni-
usq; exponet. Vale iiij. idus Octobris.

Albertini aduentu, & suaui eius congressu
plurimum Vega lætatus est; at Pontificis
ipsius literis summæ humanitatis, & bene-
uolentiæ plenis admodum recreatus: cum ui-
deret tantum sibi ab illo tributum esse, ut, qui
cum regibus, magnisq; principibus compara
retur; dignus fuisset habitus. Quamobrem
ad eam uoluntatem, quam iampridem in ip-
sum Pontificem magnis eius meritis, uirtuti-
busq; contulerat; uel ad eam potius pietatem,
quam illi tribuere solitus fuerat, magnus cu-
mulus accessit: Albertinumq; ipsum leniter,
benigneq; accepit, multisq; magnificis, ac
pretiosis rebus donatum cum his literis

Romam remisit.

Franciscus Albertinus familiaris tuus Drepanum ad nos uenit, tuasq; summæ lætitiæ, & suauitatis plenas attulit litteras; quibus nobis uictoriam de Afris partam gratulabare; & incredibilis lætitiæ, quam ipse primum cum tota familia, & curia; deinde uniuersa alma urbs cepit, signisq; quamplurimis ostendit, fidem faciebas: nam & solennes supplicationes decretæ; & innumerabiles Deo opt. max. gratiæ actæ; & ex ijs, quæ in summis lætitijs istic fieri solent, non modò nihil prætermissum est; uerum etiam ad ea potius multa alia accessere. subsecuta est deinde literarum tuarum humanitatem, ac lætitiam facunda, & grata eiusdem Albertini oratio, quæ liquidius quanti me facias, quantopere mihi omnia ex sententia euenire cupias, declarauit: quæ tametsi iampridem comperta habeo: tamen denuo per illum signifi-

cata mihi acciderunt quàm gratissima. Quam obrem immortales tibi ob tantæ erga me beneuolentiæ significationem, præstitaq; officia gratias ago, & habeo: præsertim quòd Aphrodisiensem uictoriam, quam mihi peramanter gratularis, Deo primum bonorum omnium opifici, & auctori: deinde tibi, qui nos summopere & classe, & exercitu, & Pontificiæ facultatis donis in ea paranda adiuuisti, acceptam referri, & uolumus, & optamus. sed hæc melius, liquidiusq; ex eodem Albertino, & nonnulla alia, quæ te scire uolumus, & oportere arbitramur, intelliges: qui te de nostro, & totius prouinciæ statu certiorem faciet. Vale nono cal. Nouemb. Drepani.

Alteras tuas ab eodem Albertino accepi literas; ex quibus te filij mei casum molestissimè tulisse, & communem eam calamitatem existimasse cognoui: eas enim in me consolando

collegisti, atq; adhibuisti rationes, quibus grauissimus quisq; dolor non leuari modò, uerùm etiam penitus tolli posset. Ego uerò eo animo iampridem sum, ut cum eam, qua nati sumus, recusare conditionem non possimus, atq; omnibus telis Fortunæ uitam nostram expositam uideamus; quicquid accidit, si non penitus moderatè feram: tamen me ab illa frangi haudquaquam patiar. præsertim quòd memoriæ proditum est quamplurimos tum Græcos, tum latinos idolis seruientes, falsæq; religioni deditos & cuncta aduersa, & obitum filiorum infracto animo tulisse: cumq; uideam idem mirificè tibi placere, qui non temere hæc, sed diuino accidere consilio efficacibus comprobas rationibus, turpiter facere uideremur, si nos ueræ pietatis, religionisq; sectatores ab ijs, qui falsam sectabantur, uinceremur; tantiq; Pontificis auctoritati non pareremus. Quamobrem dicere audeo, me

tanta adhibita auctoritate, grauissimam iacturam, quam nuper feci, ita ferre, ut summa tua sapientia, ac prudentia mihi perferendam arbitratur, & immortali Deo, qui filij casu nec me secundis rebus extolli, nec frangi aduersis patitur, innumerabiles gratias ago; meq́; tibi debere tantum fateor, quantum non potero unquam persoluere. Sed hæc *quoq; plenius idem tibi* Albertinus *exponet, & nostram in te uoluntatem planius significabit. Quod reliquum est, supremum* Deum *precamur, ut pro hoc tam pio in me præstito officio cuncta feliciter, prospereq́; tibi euenire permittat.* Vale.

Post Albertini *profectionem dedit continuò* Prorex *operam, ut, quod multo ante uictoriam cogitarat, & post illam partam euestigiò constituerat, id scilicet ut hostium deuictorum spolia ad* Pontificem Romam *mitteret, maturè exequeretur: nam tametsi iam inde*

ab initio ad id faciendum sponte sua incitatus fuerat; tamen post tantam Pontificis perspectam humanitatem, uehementissimè ad perficiendum est inflammatus. Itaq; phaleras, aliaq́; pretiosa ornamenta multo auro, margaritisq́; cooperta, quibus insignes, uelocesq́; illius regionis equi complures sternendi, ornandiq́; erant; sericas, pictasq́; acu uestes, quibus totidem Turcæ uestiendi, & alias, quibus etiam optimi ex eadem prouincia ad uecti canes ornatus causa tegendi; confici; & nonnulla alia, quæ ad ornandum, uehendumq́; munus necessaria censuit, apparari quamprimum iussit. præterea falcatos, ac perpulchros enses expoliri, inaurari, sericis, argenteisq́; uaginis condi; corneos itidem & uersicolores arcus, quibus Turcæ utebantur, suamq́; ijs sæuitiam nostros feriendo exercebant, instrui; & sagittarum fasces ad ijs utendum pictis, ornatisq́; pharetris decorari;

adhæc leones iam penè cicures per eum, cui illorum cura mandata erat, quiq; impunè illos pertractabat, bene ali, curariq; mandauit. Sed interea dum hæc illius mandato agebantur, cum in eam ipse cogitationem uenisset, ut putaret, ornatiora æquè, & gratiora Italo Pontifici in Hetruria *summo loco è Montia familia nato, uiro doctissimo, rectissimis studijs, atq; artibus prædito futura spolia, tantaq; munera, si, qui ea ad illum per ferret, breuem aliquam orationem componeret; qua optimũ dantis consilium, animumq; declararet, resq; singulas illi assignans aptè, appositeq; propriam illarum uim quambreuissimè explicaret.* Et *si multos domi habebat* Hispanos *genere præclaros uiros, qui forsan facilius, meliusq; eo munere fungi poterant; idq; ad se deferri omnes ad unum cupiebant; tamen cum* Proregi *in mentem uenisset me* Italum *esse,* Interamnæ *olim* Roma-

norum coloniæ nunc Pontificiæ potestati, ditioniq; subditæ ortum, præterea diui Petri militem, & eò ipsi Pontifici familiarem, etiam in humanitatis studijs aliquandiu uersatum, id negotium mihi dandum esse existimauit: quòd ijs rationibus, quas commemoraui, me quamgratissimum illi futurum putauit. Quamobrem mihi continuò mandauit, ut negotium non inuitus susciperem, & ad propositum per ipsum argumentum orationem conscriberem: qua absoluta, cæterisq; rebus, quæ ad ea ornanda, uehendaq; spolia pertinebant, confectis, ysq; in nauem ad id ipsum comparatam impositis leni spirante euro è Drepani portu soluimus, cursumq; ad centum cellarum portum direximus. Sed aduersi uentorum flatus, qui post biduum ab occasu æquinoctiali orti sunt, nos magna, ac turbulenta tempestate, qua penè naufragium fecimus, è Tiberis propè hostio ad Ca-

ietam post quartum diem reiecti sumus. Itaq; mutata itineris ratione, ne iterum maris sæuitiam experiremur, cunctis rebus in terram expositis, atq; ibi diebus circiter quindecim equorum potissimum reficiendorum causa, qui magna fluctuum agitatione, nauisq; motibus attriti penè fuerant, consumptis, inde confestim terra Romam petere contendimus. Cum primum illò peruenimus, & si nõ ignarus ipse, quàm nouarum rerum spectandarũ auida Romana ciuitas esse soleat, earum præcipuè, quæ è longinquis regionibus illuc adueniunt, mihi fugiendæ celebritatis causa, commorandi locum ad Aesculapij olim, nunc diui Bartholomæi ædem in insula Tyberis elegi: ne aduentus nostri fama per urbem celeriter manaret: uel si tandem (quod aliter fieri non poterat) ad plerosq; perueniret, ea longinquitate à multitudine uidendi cupida nõ uexaremur; tantisper saltẽ, dũ equi, leonesq;

tempestate primum ; deinde itineris labore fessi, refici possent : tamen & rumor statim urbem peruasit ; & non plebeiorum modò, sed etiam optimatum, ac patritiorum non parua multitudo conuenit ; cum ut equos nuper ex Africa aduectos, quos & perpulchros, & ad currendum uelocissimos se accepisse narrabant ; tum ut leones, quòd nonnulli ex ijs raro, pleriq; autem nunquam id genus ferarum uiderant, perspicerent. Permisimus initio (ne inhumani, & à moribus urbanis alieni uideremur) ut cunctis aduenientibus paterent fores, & unicuique spectandi facultas iure suo esset : quod quidem magna cum omnium uoluptate fiebat. Nondum primi inde discesserant, cum multis partibus plures ad nos aduolabant, nec homines tantùm, sed etiam fœminæ cum plebeiæ quàm plurimæ, tum magno comitatu primariæ : quæ cum non satis haberent, quòd equos,

leones, canes & turcas illos procera statura, atq; ætate integros conspexissent, quo nam uestitu, ornatuq; ad summum Pontificem deducendi essent, percontabantur: nosq; uehementer rogabant, ut ostendere non grauaremur. Quod quidem ijs eam tantum ob causam abnuimus, ut si prius à nemine uiderentur, quàm in publicum prodirent, cuncta cum multo pulchriora apparerent, tum multò gratiora futura essent. quanquam paucis amicis, & ciuibus, & nobis consanguinitate coniunctis uerecundia obstricti ea uidenda præbuimus. sed eò iam res deuenerat, ut cum illi, qui uiderant, alios de equorum pulchritudine, de leonum ui, atq; natura, & canum genere certiores fecissent, maximi statim ex uicis, domibusq; omnibus, etiam ex agris ad ædes, in quibus commorabamur, concursus fierent. Quarè iam nec ad nos concurrentibus obsequi, nec illorum animalium

curam gerere, nec officio nostro satisfacere per tantam frequentiam nobis licebat. Clausimus igitur fores, ædiumq́; omneis aditus, sed pleriq; humiles uestibuli parietes conscendebant, atq; uidendi studio in ædes penetrare nitebantur, id quod quanquam non sine molestia nostra fiebat: tamen datum nobis negotium curare, munusq́; nostrum adornare aliquo commodo poteramus. Quamobrem cunctis ijs animalibus omni adhibita diligentia, curaq́; refectis, cæterisq́; rebus ad tantum munus ornandum spectantibus præparatis, ut penitus ea molestia leuaremur, assignatumq́; nobis à Siciliæ Prorege munus conficeremus, quod maximè cupiebamus, per internuntios Pontifici gratos, & claros uiros cum illo egimus (nam exploratum nobis erat de nostro ad urbem aduentu, causaq́; ei continuò renuntiatum fuisse, multoq́; ante, quàm nostra nauis Caietam appelle=

ret, fama ipsum cognouisse) ut, quod com-
modo eius fieret, quo die ea Aphrodisij spo-
lia, munusq; accepturus esset, haud inuitus
iam constitueret. Placuit igitur Iulio Pontifi-
ci septimum ante idus Februar. diem in eam
rem constitui; quod existimaret, se eo die
à cæteris negotijs, curisq; publicis uacuum fo
re: & propterea commodum sibi munus no-
strum accipere, resq; singulas iure suo per
otium contemplari. Quamobrem quod ego
acturus, dicturusq; eram, meditabar; cun-
ctaq; instruebam, ut ad constitutam diem, tem
pusq; legationis meæ munus tēpestiuè, & quo
decebat ordine obirem: unoq; tempore Prore
gi, qui me miserat, & Pontifici, ad quem le-
gatus fueram, morem gererem. Iam tota penè
urbs Pontificis animum nouerat, atq; in maxi
ma eius rei expectatione erat; statutumq;
diem diligenter obseruabat, cum Pontifex, qui
pridie eius diei mane adhuc in Adriani mole

uersabatur, quo se biduo ante animi, & ludorum, qui eo anni tempore quotannis Romæ fieri solent, spectandorum causa contulerat, mutato consilio per internuntium me monet, ut eo ipso die uesperi in prætorio pontificio cum ipsis Aphrodisij spolijs adessem. se paulo post illuc accessurum, nobisq; operam commodè daturum pollicetur: quòd postridie senatus ob nonnulla, quæ denuo acciderant, futurus erat; quæq; illum differri, alioq; haberi tempore non paterentur. Id mihi, ne mentiar, molestissimum accidit: propterea quòd uidere uidebar me per temporis angustias illius mandatum recte persequi nequaquã posse: tamen quoniam illi parendum nobis, & pro uirili parte satisfaciendum erat, nulla interposita mora amplissimum uirum Rodulphum Pium dictis, factisq; egregium, ac præclarum, Cardinalem Carpensem summa familiaritate Proregi iampridem coniunctum,

cuius consilio ipsius Vegæ instituto tunc maximè nitebamur, conuenimus; remq; ipsam, ut se haberet, patefecimus. Etsi ipse quoq; mutationem à Pontifice factam multis nominibus grauatè tulit; tamen quoniam morem illi omnino gerendum esse, nec ulla ratione contraueniendum putabat, nobis præcepit, ut omnia ad se transferri quamprimum curaremus: quòd facilius domi suæ apparari, ac suorum auxilio maturius instrui possent. Itaq; cunctis rebus, quæ uehendæ erant, in uehicula impositis, atq; in illius ædes, quas in Campo Martio perpulchras habet, euestigio translatis; equis insuper, canibusq; per loca, uicosq; à celebritate, & hominum frequentia disiunctos illò perductis, quàm maxima potuimus diligentia, ac celeritate equos sterni, Afrorumq; instituto, cuius admodum peritus erat Iuuenis, quem mecum ex Sicilia dedita opera aduexeram, eos ornari; Scythas

patrio ipsorum more uestiri: qui leones ca=ueis inclusos, quiq; arcam, in qua uexilla, falcatiq; enses, atq; arcus cum sagittis me=rant; quiq; etiam claustrum, uectemq; carce=ris ferrent, conduci, cæteraq; omnia instrui, parariq; curauimus: quibus non plenè ex sen=tentia, cumulateq;, sed ut per breue tempo=ris spatium licuit, perfectis, eo ordine è Cam=po Martio recta Vaticanum uersus, ubi iam Pontifex nos expectare incipiebat, progredi cœpimus. Præibant equi, sed singuli non ma=gno inter se disiuncti interuallo; quos singuli Scythæ habenis dextera prehensis uix trahe=bant ferocia, lætitiaq; interdum exultan=tes: læua tamen manu sericis uinculis inser=ta singulos itidem canes ducebant. Hos qui leones ferebant, insequebantur; quibus qui arca onerati erant, adiungebantur. Nouissi=mi erant, quorum humeris magnus ille uectis cum claustro gestabatur. Mox ego equo

uectus

uectus cum paucis equitibus, qui me inuitum secuti sunt (nam & diei, temporisq; antea constituti mutatio facta fuerat; & mihi è Sicilia abeunti Prorex mandarat ut uno, aut ad summum altero comitatus id muneris obirem, nullamq; pompam adhiberem) sequebar, agmenq; claudebam. Vt primum equi, turcæq;, & à leua parte canes ita strati, ornatiq; ab ijs, qui in officinis, tabernisq; uersabantur; quiq; ultro, citroq; negotiandi causa properabant, conspecti sunt, quibus uicus ille, qui è Campo-Martio ad pontem Aelium, molemq; Adriani illi commissam, & inde ad prætorium pontificium ducit, admodum frequens erat, tam rarum illi spectaculum uehementer admirati sunt, nec explere animum cernendo poterant: cum autem Leones in caueis, & arcam, in qua barbarorum signa, enses, arcusq; cum sagittis clausos diximus, & claustrum,

uectemq; altera arca pro illorum magnitudine ferri deinceps animaduertissent, non modò illorum admiratio, uoluptasq;, quam ex eo spectaculo capere cœperant, uisis leonibus aucta est; sed cum nescirent, quid in arcis illis conditum esset, maximo sciendi desiderio capiebantur. Itaq; ut aliquandiu rerum, quæ cernebantur, spectatione lætari; quæq; clausæ in arcis gestabantur, percontando scire possent, pleriq; relictis rebus omnibus nos insequebantur, tantusq; undiq; in eum uicum, quà transibamus, concursus fiebat, ut uix nobis progrediendi facultas esset: Nec premebamur solùm multitudine, sed etiam percunctatione obtundebamur; ac tantus sciscitãdi ardor erat, ut manu prehensos comites nostros non prius dimitterent, quàm quid in arcis conditum; quis tanti, tamq; præclari muneris auctor esset, probè nossent. Ex quo illud sequebatur, ut munus ipsum summis

laudibus ad cœlum ferrent: Ioanni autem Vegæ Siciliæ Proregi tam rari muneris auctori, quo strenui, fortesq; Principes, quid in uictorijs, quas ex Christianæ religionis hostibus pariunt, acturi sint, monebantur, non solùm insigne præconium tribuerent, uerum etiam clarum, magnumq; æternitatis testimonium impertirent. Erant inter eos, qui spectatum concurrerant, quamplurimi ex ijs, qui antea in diuersorio turcas, equos, leonesq;, & canes uiderant, diemq; per ipsum Pontificem constitutum expectabant; ut quo ornatu ad illum deducerentur, spectare possent: cur dici mutatio facta esset, mirabantur: sed quòd non eo spectaculo priuati fuerant, miruminmodum gaudebant. qui uerò posterum diem securi obseruabant, seq; spe sua frustratos esse postridie cognouere, & si ex aliorum, qui coràm adfuerant, sermone animalium, atq; hominum tum habitum,

ornatumq; ; tum conseruatum in deducendo ordinem didicere : tamen quòd ydem ipsi non suis oculis spectassent, magno dolore afficiebantur : Hispani præsertim, qui non solum uidere, coramq; adesse, sed quòd ab Hispano Principe mittebatur, etiam comitatu, & quo poterant, honore tam insigne munus prosequi uoluissent. At ego Vegæ præcepti, naturæq; meæ non oblitus neminem ob eius rei causam accersendum censueram; nec, si forte diei, temporisq; mutatio non facta fuisset, quenq; illorum adsciuissem. Eo igitur ordine, comitatuq; uel molestia potius in Vaticanum montem, prætoriumq; Pontificium peruenimus : iussiq; sumus in coniunctam illi porticum excelsam, prælongamq; ingredi; atq; ibi Pontificem expectare; qua in perpulchras ædes, amenosq; hortos pulcherrimè æque instructos est transitus; quo summi Pontifices cum rebus serijs satisfecere, se cum paucis intimis,

& familiaribus relaxandi animi gratia conferre solent: qui quidem locus ob hortorum amenitatem, liquidas fontium leniter manantium aquas, antiquarum statuarum pulchritudinem, Laocoontis, Apollinisq; præcipuè, mirabilem ædium structuram, dignitatemq;, & lætum in campos Vaticanos, præter labentem Tyberim, septemq; colles, & uniuersam urbem prospectum, quemadmodum uisu pulcherrimus est, sic inde nomen iure optimo traxit. Huc igitur Pontifex Iulius animi causa accessurus, in eo porticu nostra munera inspecturus, accepturusq; erat. Nos ibi institutum antea ordinem immutauimus; arcamq; primum uectis, claustriq;: deinde signorum, ensium, arcuumq; cum sagittis collocauimus; mox canes, leonesq;: nouissimi erãt equi, turcæq;. Ego autem utranque inter arcam constitutus ut primũ summum Pontificem cum non paruo domesticorum, et propinquorũ cætu

(quos inter maximæ indolis, & summæ spei adolescens erat Cardinalis Montius Innocentius nomine in amplissimum eum ordinem nuper adscriptus, & Ioannes Baptista, quorum hunc Baldouinus Pontificis frater ex Iulia Mancina uxore primaria fœmina genuerat, illum superioribus mensibus filium adoptarat, etiam Ascanius Corneus sororis filius) appropinquare uideo, me ad illius pedes confestim abijcio, eosq; prostratus ipse de more osculor; sed ab eo statim subleuatus, fariq; iussus; cum antea fuißem ab amplissimis uiris monitus, ne latinam orationem, quam antea meditatus fueram, ullo pacto haberem: propterea quòd dicebant Pontificem Iulium eius ingenij esse, ut quicquid literis mandatum esset, multo libentius ipse perlegeret, quàm alteri recitanti uacuas aures præberet: cumq; insuper penè iam aduesperasceret, illorum consilio, præceptoq; obtẽperare,

& meum ad Pontificis ingenium accommoda re decreui: præsertim quòd compertum habebam, illum omni liberali doctrina, humanitateq; politissimum, atq; acri, & propè singulari iudicio præditum; qui de literatis uiris, non eos audiendo (qua in re plerumq; errari solet) sed illorum scripta perlegendo rectum facere iudicium consueuit. Dixi tandem; composueram Pater sanctissime orationem admodum breuem, qua laudabile Ioannis Vegæ Siciliæ Proregis consilium, egregiamq; erga te uoluntatem declararem: eam libenter hic haberem, si exploratum mihi esset te ea re molestiam animo haudquaquam capturum. ad quod ille in præsentia non opus est, inquit, sed eius exemplum mihi tradas uelim; ut per otium postea perlegam. Ipse antea consultò descripseram, in manuq; tunc habebam: uixq; Pontifex sermonem absolue rat, cum descriptam orationem porrexi:

quam alacer ipse, lætusq; accepit, manuq; clausa seruauit. Tunc ego: Itala lingua Proregis mandata exposui, resq; singulas, quambreuissime potui, explicaui: hilari ipse uultu me loquentem audiuit; sed hilariori quidem spolia ipsa, munusq; perspexit. Sed quoniã in animo habeo illius meæ orationis exemplum infrascribere, qua ordo in singulis illis rebus exhibendis à me seruatus constabit, ne eadem sæpius repetendo fastidium, ac satietatem afferam, hoc tantummodo in præsentia dicam Pontificem ita lætum non spectaße solùm, sed etiam, leonibus duntaxat exceptis, pertractaße omnia, ut eius intimi, ac domestici immortalem Deum contestantes affirmarent, nunquam illum post summum ab eo initum Pontificatum, uidisse lætiorem. Quamobrem non semel, & iterum stans ipse iussit equos, canesq;, per Turcas illos ultro,

citroq; deduci, ut transeuntes uideret, atque illorum specie, usuq;, & pretioso ornatu, quibus expleri non posse uidebatur, diutius oculos, animumq; pasceret. Etenim præter ea, quæ ego de illorum Equorum, Canumq; natura dixeram; multa quoque ipse ex me quærebat, an ueloces in cursu essent; possent ne in ludis, qui proximè edendi erant, currere, palmamq; domum referre; an Canes illi in uenationibus utiles essent. Ego autem ad singula illius rogata appositè respondere studebam; ac de equorum, & canum præstantia pro uirili parte disserebam. Memini cum ipse exposuissem leones cicures esse, mitesq; in ipsius ius, potestatemq; uenire, impuneq; manibus tractari posse, illum iocosè, ut putabam, mihi respondere, atque omnibus, qui coràm aderant, risum mouere;

id scilicet, illarum ferarum ingenium non se experiri manibus cupere; sed potius ex alta specula uelle despicere. Itaq;, quem iocatum credideram, serio superiorem ædium partem cum Cardinale, quem adoptatum à fratre demonstrauimus; paucisq́; domesticis, cum quibus ipse præieram, conscendit, hostiumq́; sera claudi iussit: nec prius è caueis leones suis catenis educi uoluit, quàm ipse in fenestra illam in porticum uergente locatus esset. Tunc iuuenis ille, qui eorum alendorum curam susceperat, apertis statim caueis eduxit; securusq́; non tractabat modò, sed etiam amplectebatur; alteramq́; manum in os utriusque nullo accepto detrimento immittebat. Quarè ita Pontifex ipse cum toto illo comitatu miratus est, ut uix sibi ipsi uidenti fidem tribueret: tandem me uera de ijs locutum fuisse perspiceret: at eum, qui confidenter se illis committebat, belluam potius, quam ho-

minem appellaret: nam tametsi non impro=
bandus erat, qui tam efferata domuisset ani
malia; tamen quoniam usu uenire poterat,
ut ad pristinam illa feritatem redirent, domi
toremq; suum, & alimenta præbentem occi=
derent; hæc minimè cogitantem iure omnium
stultissimum existimabat: nec prius ex eo lo
co descendit, quàm inclusos in caueis leones
animaduertit. Nec est illud silentio præter=
eundum, ex quo quanti spolia illa, munusq;
faceret, cognosci potuit, cum uexilla, falca=
tos enses, corneos arcus, pictasq; sagittas illi
spectandas, atq; habendas tradidissem, sic
illis capi uisus est, ui in arcam statim recon=
di, atq; ea clausa, nequid se inuito subripe=
retur, clauem ad se perferri mandaret. Et
si ex summa lætitia, quam iam inde à prin=
cipio præsetulit, potuit facilè intelligi nostrum
illi munus perquàm iucundum accidisse, cum
pretio, rerumq; pondere; tum ipsius auctoris

amplitudine; id tamen ex facunda illius oratione liquidius constitit; qua & muneris claritatem, splendoremq; & summum Vegæ consilium, religiosumq; animum summopere laudauit: deinde quàm pacis, belliq; studijs ualeret; quanti ob immensam ex utrisq; partam gloriam faciendus esset, commemorauit: tantum deniq; illi honorifico sermone tribuit, ut uirum religiosissimum, fortissimum, clarissimum nominaret. Sed ad orationem iam ueniam: cuius me adscripturum exemplum pollicitus fueram.

Consueuere prisci illi Romani Pater Sanctissime hostium deuictorum spolia deorum templis consecrare; ut quibus adiuuantibus uictoriam se adeptos credebant, ijs illam acceptam referrent; seq; ob tantum beneficium haud ingratos declararent. Atq; id laudabile institutum à Romulo huius Vrbis conditore acceperunt: qui in bello aduersus Ceninenses

gesto cum Acronem eorum ducem, à quo fuerat prouocatus, interemisset, opima illius spolia Ioui feretrio dedicauit. Horum exemplum Ioannes Vega Siciliæ Prorex sibi imitandum censuit, ne ueræ ipse religionis, Christianæq; pietatis cultor tam egregium antiquorum institutum prætermitteret; seq; à falsæ religionis sectatoribus quodammodo uinci pateretur. Is enim superioribus mensibus (ut tibi exploratum est) in Africam cum Cæsaris exercitu traiecit, Aphrodisiumq; Vrbem natura loci, & opere munitam, & ualido Turcarum præsidio firmatam expugnauit; atque ex illorum manibus extorsit. Cum tantam igitur uictoriam Deo Opti. Max. acceptam referat, eiusq; uicem tu ipse bono publico in terris geras, qui Christianam Rempub. tot malis oppressam Pontificatus tui initio in libertatem uindicasti; qui ad hanc parandam uictoriam classe, et exercitu,

& donis Pontificiæ facultatis ipsum adiuui=
sti; sibi faciendum existimauit, ut eorum
spoliorum partem, quæ uictis hostibus detra=
cta sunt, perferendum ad te curaret. ut si=
quid ex ijs diuino numini sacrandum censeas,
id arbitratu tuo facias: cætera in summæ illius
erga te beneuolentiæ, uel pietatis potius testi
monia habeas: quæ tametsi meritis, & am=
plitudine tua inferiora sunt: tamen in ani=
mum inducas uelim, Siciliæ Proregem, quæ
summa illius est in te obseruantia, amplio=
ra missurum fuisse, si ampliora hostibus de=
traxißet.

Est igitur Pater Sanctissime, quòd in primis
scias hoc esse claustrum, uectemq; tetri carce
ris, quo Christiani nominis quamplurimi in
seruitutem per barbaros abstracti claudeban
tur: quos inter pueri erant è matrum com=
plexibus per uim auulsi, honestæ mulieres à
suis uiris diuisæ; & nonnulli sacerdotes ab

ipsis propè altaribus erepti: quibus fracto carcere in libertatem assertis uectis, claustrumq; Pontificiæ potestati tuæ iure subijcitur.

Signorum, quæ Aphrodisij capta sunt, partem hic Pater Sanctissime uides. Hæc ex munitissima supra portam turri cæsis ibi hostibus auulsa sunt: quæ ut hostilia antea mœnia exornabant, nunc in illius uictoriæ testimonium in Pontificio hoc Prætorio ad diuini nominis gloriam, & sanctitatis tuæ uoluptatem pendeant.

Hi sunt falcati enses magnorum Ducum, qui Aphrodisio potiti fuerant: ibi fusi Christianorum sanguinis testes erant; hic partæ per Christianos uictoriæ testes sint.

Adsunt et cornei Turcarum arcus, sagittæq;, ut quos illi ad Christianorum perniciem contendebant, ij tam perniciosorum hostium arma in tuam potestatem peruenisse testentur.

Libyci adsunt canes Pater Sanctissime auctorum monumentis celebrati; quibus fidelissimis ad custodiendum iure tuo uteris: ex ea enim terra ueniunt, in qua Masinissa Rex Numidiæ plus ijs, quàm hominibus fidei habebat.

Adsunt & feroces Libyæ leones; qui ingenitæ feritatis obliti mites sub Sanctitatis tuæ iura ueniunt.

Adducimus equos Afro more stratos; qui tametsi modò uicti ad te perueniunt, sub tuo tamen iure reliquos in studio equos uincent, gloriosamq; currendo palmam referent.

Hos totidem Scythæ manu trahunt; ut qui in Africa penè dominabantur, amplitudini tuæ cum ijs seruiant.

Hæc qualiacumq; sunt Pater Sanctissime Ioannes Vega Siciliæ Prorex uehementer te orat, ut boni ipse consulas; neue rerum, quas mittit, tenuitatem, sed animum tibi deditissimum

mum metiare, cui longissimam æque, & felicissimam exoptat uitam.

Ex ijs, qui intimi Pontificis erant, Michaele Angelo Spatha municipi meo præcipuè, qui ne latum quidẽ unguẽ ab eius latere discedebat, postero die cognoui illum orationem meã noctu perlegisse, atq; eam uehementer probasse. Hoc haud falsum fuisse perspexi, cum postea Pontificem & officij causa conuenissem; & ut ueniam redeundi in Siciliam peterem: nam cumprimum in eius me conspectum dedi, tua, inquit, oratio ita mihi profectò placuit, ut Proregis causa, tuáq;, etiam nostra, in lucem omninò dari uelim: quod ex animo ne ille, uereq; diceret, an ut nostris id auribus daret, docti uideant: Ego quæ illum dixisse scio, meisq; auribus audiui sumscribere ausus: nec mihi uitio dari uelim, quòd de me ea scribam, quæ si ipse prætermitterem, leges scribendæ historiæ minime

seruarem. Quarè ne id quidem omittam pur puratos patres, aulicosq; omneis, eos præcipuè, ad quos seruos dono, Proregisq; literas seorsum pertuleram, ante omneis Pontificem honorificè me tractasse, magnumq; honorem, eius enim fores assiduè mihi patebant, habuisse, non paruo denique numismatum, hinc porta, quam sanctam uocant, quam is de more in Christianæ Reipub. salutem, ueniamq; Romæ anno superiore. M. D. L. quem Christiani Iubilei uocamus, aperuerat; & hinc montibus gentilitijs insignitorum numero me donatum in Siciliam remisisse: cum multa prius largè, & honorificè, se, cum primum daretur occasio, mea causa facturum pollicitus esset. Diplomatis exemplum, quod mihi ad Proregem dederat, est quod sequitur.

Quas nobis de expugnato Aphrodisio exuuias misisti, libenti animo accepimus: quasq;

nuntius tuus Horatius Nucula *exposuit ratio nes, quamobrem nobis eas dono potiſſimum miseris, magna cum uoluptate audiuimus: Erunt hæc omnia cum tuæ erga nos fili beneuolentiæ, & pietatis; tum uerò pulcherrimæ de* Chriſtiani *nominis hoſtibus uictoriæ monimenta.* Horum *nos alia diligenter aſſeruari, alia sacro, & illuſtri loco ad ſummi* Dei *honorem affigi curabimus; ut qui ea ſpectabunt, commonefiant, ad eas uictorias magnos* Principes *niti debere, quæ ueram illis, ſolidamq́; gloriam de sacrosanctæ religionis deuictis hoſtibus pariant.* Tibi *nos quidem de tam luculentis, tamq́; pijs muneribus ingentes habemus gratias, optamus uerò, & præpotentis* Dei *ope, ac fauore freti ſperamus non defuturam tibi denuo in alijs etiam huic ſimilibus expeditionibus declarandæ uirtutis facultatem: & noua ex infidelium hoſtium manubijs* Deo, *diuisq́; dona*

consecrandi. Nos interea quibuscunq; rebus poterimus, sedulò operam dabimus, ut & munera ipsa, & alia tua omnia erga nos officia nobis quamgratissima fuisse intelligas. Romæ ad Diui Petri ædem signo piscatoris obsignatum xiij. Cal. Martias, salutis. M.D.LI. Pontificatus nostri anno primo.

Ex his Pontificis maximi literis, quam iucunda illi deuicti Aphrodisij spolia accidissent, planè constat: & quod per eas pollicebatur se alia ex ijs diligenter asseruanda, alia sacrato, & excelso loco ad sempiternam immortalis Dei gloriam affigenda curaturum, quamprimum præstitit: etenim priusq; ipsi ex urbe discederemus, uexilla omnia, quæ pertuleramus, in supero sacelli eius limine, in quo festis, solennibusq; diebus Summus Pontifex cum purpuratis patribus rem diuinam facere solet, quaterna hinc, & hinc cum magno illo carceris uecte, claustroq; in medio

positis, affixa perspeximus; totamq; urbem ad ea spectanda fama excitam confluxisse. Obseruauit Pontifex diē memoratu dignum, quo tam præclara spolia diuino numini consecraret: is enim uniuersæ urbi, signis lætitiæ quamplurimis ubiq; declaratis festus quidem, & solennis erat, ipsiq; Pontifici Iulio perquàm iucundus: etenim Pontificalibus ille amictus uestibus in diui Petri cathedra, sellaq;, in cuius honorem à Christiana Repub. idem dies celebratur, mitram auream triplici, radiantiq; ornatam corona, quod Pontificium insigne est, à Patribus accepit: eaq; est magno omnium applausu, lætitiaq; coronatus: & decreto publico solenni illi diei à corona nomen inditum: is est Martiarum calendarum octauus. ab eo autem, cum Pontifex ipse patrum suffragijs creatus fuit, quintus decimus numeratur: qui dies Romæ quasi Dei immortalis festi, solennesq; celebrantur;

incredibilisq; ob tantum Pontificem conceptæ à senatu, populoq́; Romano lætitiæ anniuersarijs, statutisq; sacrificijs, epulis, ludisq; publicis fidem faciunt. Sed mutato summus Pontifex consilio, ut spolia illa non patritijs, & ciuibus Romanis modò, & incolis, sed etiam exteris quotidie Romam confluentibus magis insignia, & notiora essent, illa ad diui Petri ædem transferenda, atq; eodem ordine, quo antea fuerant, in supero unius ianuæ limine constituenda, atq; affigenda curauit, iucundissimumq; omnibus spectaculum præbuit. Conspiciuntur igitur in ornatissimo loco illo Aphrodisij nuper deuicti spolia, quo magni, religiosiq; memoriæ nostræ, & posteritatis imperatores præclarum, diuinumq; Ioannis Vegæ factum, atq; ad imitandum expositum summa ope prosequi, atq; imitari contendant, seq; ueros Christi milites esse similibus argumentis, factisq; declarent.

Ad clarissimum Ioannem Vegam Siciliæ
Proregem
Ioannes Vitalis Panormitanus.

MAgnus Alexander tumulum cum fortis Achillis
Aspiceret, tales edidit ore sonos.
O te felicem, cui contigit auctor Homerus,
Qui caneret dextræ fortia facta tuæ.
Te quoq; felicem dicit fortissime Vega
Debellatorem terra Libyssa suum.
Quòd tibi contigerit diuinus Horatius ille,
Ille tuæ scriptor nobilis historiæ.
Ingenio cuius uiuit tua fama superstes,
Quam nec liuor edax, nec teret ulla dies.

IVLIVS PAPA III.

Motu propio &c. Cum ſicut accepimus, dilectus filius Horatius Nucula Interamnenſis librum de rebus geſtis in bello Aphrodiſienſi non ſine magnis laboribus, & uigilijs à se compoſitum hactenus non impreſſum imprimendum curare intendat, dubitetq; ne huiusmodi liber ab alijs absq; eius licentia imprimatur, quod in maximum suum præiudicium tenderet: Nos propterea eius indemnitati conſulere uolentes motu ſimili, & ex certa ſcientia noſtra eidem Horatio, ne dictus imprimendus liber per decem annos à quoquam ſine ipſius licentia imprimi, aut uendi, seu uenalis teneri poſſit, concedimus & indulgemus. inhibendo omnibus & ſingulis impreſſoribus, librarijs, bibliopolis, mercatoribus, & alys perſonis ubicunq; degentibus cuiuscunq; ſtatus, gradus, & dignitatis

existat sub excommunicatione latæ senten-tiæ; In terris uero sanctæ Romanæ ecclesiæ mediate, uel immediate subiectis, etiam centum ducatorum auri de camera, & amissionis librorum pœnis eidem Horatio applicandis toties quoties contrafactum fuerit ipso facto absq; aliqua declaratione incurrendis, ne dictum imprimendum librum absq; eiusdem Horatij licentia dicto durante decennio imprimere, uendere, seu uenalem habere, uel proponere, nec à latina lingua in uernaculam conuertere ut postea imprimat, aut uendat absq; simili licentia audeat. mandantes etiam uniuersis & singulis uenerabilibus fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, eorumq; Vicarijs, & Vicelegatis sedis apostolicæ, & ipsius status Gubernatoribus, ut quoties pro dicti Horatij parte fuerint requisiti, uel eorum aliquis fuerit requisitus eidem Horatio efficacis defensionis præsi-

dio aſſiſtentes præmiſſa ad omnem præfati Horatij requiſitionem contra inobedientes, & rebelles per censuras eccleſiaſticas etiam ſæpius aggrauando, & alia iuris remedia appellatione poſtpoſita auctoritate apoſtolica exequantur; inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachij ſecularis non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunq;, & inſuper quia difficile eſſet admodum præfatum motum proprium ad quælibet loca deferri, uolumus, & eadem auctoritate apoſtolica decernimus ipſius tranſumptis, uel exemplis etiam in ipſo libro impreſſis plenam, & eandem prorſus fidem ubiq; tam in iudicio, quàm extra haberi, quæ præſenti originali haberetur; & quòd eiuſdem præſentis motus proprij ſola ſignatura ſufficiat, & ubiq; fidem faciat in iudicio, & extra: regula noſtra in contrarium edita non obſtante.

Carolus etiam Quintus Romanorum Imperator priuilegium eidem Horatio Nuculæ concessit, ut nequis in ipsius Cæsaris Regnis per decennium imprimere, aut uendere aut in uernaculam linguam à latina conuertere ut postea imprimat, aut uendat supra dictum librum ab ipso Horatio de bello Aphrodisiensi compositum sub ijsdem pœnis, quæ in motu proprio summi Pontificis continentur.

Item clarissimus Cosmus Medices Florentiæ Dux eodem penè exemplo priuilegium eidem Horatio concessit.

Errata animaduersione digna
sic corrige.

Pag.	Ver.	
19	7	*pro uirili nostra parte*
36	18	*Melphensium Princeps,*
37	14	*Petri Toleti*
48	17	*Menynx insula*
51	4	*ipsa sibi met*
56	8	*pro sua uirili parte*
73	11	*traiectus.*
75	17	*caueones*
77	3	*ita se comparat,*
96	20	*Aegusam*
106	18	*ut ipse Vega*
126	4	*clementiamq;*
174	18	*Mylarum*
214	4	*barbariq;*
215	6	*cōponere edicta, cōposita nomine*

238	3	& ibi ad præscriptum
316	1	fieri poſſe ;
357	14	ut in arcam
360	4	perferendam

Cætera autem perperam impreſſa quiuis fa=cilè poteſt animaduertere .

℄ Romæ apud Valerium & Ludoui
cum Fratres Brixienſes.
Annno Domini
M.D.LII.